



*G.M. is.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITTEBERG.

W-51.

SIGNAT. *cIoi CCCXIII.*

*Jova Juva!* 29.  
AUDITOR VERBI DIVINI CHRISTIANISSIMUS.

*Sive,* 24  
Exercitatio Theologica,  
*Verum, genuinum, realem, debitumq;*  
**PRÆDICATI VER-**  
**B I D I V I N I ,**

Publicè audiendi, modum delineans.

*Cujus posteriorem medium partem,*  
*Spiritu Duce, Verbô Luce & fide Comite,*

P R A E S I D E

V I R O Admodùm Reverendô atq; Excellentissimô,  
**Dn. GEORG-HENRICO HÆBER-**

LINO, SS. Th. D. & P. Extraord. Eccl. Tubing.

Symmystâ, Superattendente Ducalis Stipendii,

Dn. Praeceptore, Patrono & Promotore colendissimo.

Subses,

**BLASIUS LÖWEY, Hungarus, SS. Th. Cultor,**

& immerens Sereniss. Duc. Würt. Alumnus,

Publico cupidissimorum Verbi Divini Observatorum scrutinio proponit,

I N A U L A T H E O L O G O R U M N O V A ,

Ad Dies & Aprilis,

Qui habet in memoria, & servat in vita; qui habet in sermonibus, & servat in moribus; qui habet audiendo, & servat faciendo; aut qui habet faciendo, & servat perseverando: ipse est, qui diligit me (Christum.) Augustin. Tract. 75. in Ioh.

T U B I N G Æ ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI, ANNO M DCLXXXII.



V I R I S

*Magnifica Strenuitate splendidissimo Dn;*

Generoso Stemmate, & Theologico-Politicâ Sapientiâ  
maximè conspicuo;

*Plurimum Reverendâ Dignitate, Amplitudine, Nobilissimorum Ordinum, Statuum Virtutumq; laude clarissimis;*

**DN. JONÆ SCHRIMPFFIO,** JCto celeberrimo, Comiti Palatino Cæsareo, Ducis Elect. Saxonici, ut & multorum aliorum Principum, Urbiumque S. R. I. Consiliario, Residenti & Agenti in Aula Cæsarea Viennensi Inclytissimo, Mandatario perpetuo, &c. Communi Pauperum, maximè Studiosorum, Patrono longè gratosissimo.

**DN. GEORGIO GERHART,** Carponensi; Inclyti Comitatûs Hontensis, Statuumque Regni Hungarici in nupera solenni Diæta Assessori Primario longè spectatissimo, &c. Dn. quondam Hospiti ac Patrono æstimatissimo.

*Venerabili admodum ac Inclyto*

**CONVENTUI ECCLESIASTICO LUTHERANO,** qui in Regia Liberaque Civitate Sempronensi est, &c. Dnn. Promotoribus humillimo cultu suspiciendis.

**DN. GEORGIO HODIKIO,** Regiae Liberæque Civitatis Günsi.

**DN. JOHANNI SIMONY,** ensis Senatoribus Primariis Evan-

**DN. THOMÆ HERICZ,** gelicis, &c.

Dnn. Patronis honoratissimis.

**DN. JOHANNI ENSEL,** Ecclesiæ Meszleniensis quondam. Pastori, Sacri Contubernii August. Confess. Cis-Danubiani Notario, Concionatori nuper Comitiali dignissimo, &c. Gamalieli olim fidissimo, nunc Patrono & in Christo Patri summè venerando.

**DNN. JAURINENSIBUS,** Evangelico-Lutheranis universis, constantissimis Jesu Christi Confessoribus, Dominis Patronis colendissimis.

*Posteriorem hanc Exercitationis Theologica*

*partem, in contestandam devotæ mentis subjectionem, humiliamq; sui studiorumq; suorum commendationem,*

D. D. D.

*Cliens devotissimus,  
Blasius Löwey, Hungar. A. & Resp.*

## THEISIS III.

## Verbum DEI audiendum est memoriter.

**S. I.** **U**T priora duo, hactenus pro viribus divinitus concessis, adstructa; ita tertium hoc audiendi Verbi Divini Correquisitum Papistæ nefariè proscribunt eo ipso, quod non tm. auditores in otiosos & theatricos idololatricæ missæ spectatores transformant, & sine auditu Verbi Div. ex Idoleis suis, hâc finiti Missificii clausula: *Ite Missa est*, dimittunt; eâ erroneâ dementatos opinione, quod solum illud sine intellectu auditæ Missæ opus prosit & sufficiat, subsequentे Verbi auscultatione non necessariâ: sed etiam à lectione Scripturæ arcent, & fide implicitâ eos credere, quod (sive scriptum, sive non) Ecclesia credit, jubent. Greg. de Val. l. 6. Analys. p. 205. seq. Ungersdorff. Gratul. p. 214. seqq. Thom. 2. sec. q. 2. art. 7. tract. de Sacr. c. 1. citante D. Dieter. Instit. Cat. tech. p. m. 490. Quanquam n. fides implicita sanò sensu à nostris admittatur, voceturque, cum, vel res & questiones ad salutem directe non pertinentes, ut circumstantia historica; vel apices controversiarum, extra jacturam salutis ignorabilium, non inficialium; vel doctrinæ fundamentales, quarum notitia non mox haberi potest, non distincte, sed communi earum principiō, Scripturā S., cognoscuntur; ut, cum quis credit Scripturam S. esse veram, ille implicitè credit omnia, que in illa continentur. Psalm. 119. v. 66. *Hæc fides est quidem bona, & discenti ad tempus necessaria; sed ita, ut distincta postea notitia reddatur.* In sensu tn. Papistico meritò Carbonaria audit, cum sit cœcus assensus, mera ignorantia, fatente ipso Bellar. quando ait, fidem propriè sic distam melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri. l. 1. de Inst. c. 7. Talis fides inferior est fide Diabolorum, notitiam habente Jacob. 2. v. 19. Quæ, quæso, consolatio ex hac fide: *Credo, quod credit Ecclesia, si respondeat Spiritus S. Hebr. 2. v. 4. Justus fide suâ vivet?* Imò, quid opponet mens perterrita sententiæ Judicis justissimi, quando errorum, quibus sàpè Ecclesia implicatur, accusabitur? Profectò supina hîc ignorantia non excusat. Aliud v. longè scripturam nos docere, infra §. 3. dicetur.

F 2

§. 2.

Vid. Krom.  
Theol. Pol.  
Pol. p. 656.

38.

§. 2. Utinam autem non & inter nos Christianos detestabiliis rerum spiritualium, ob præposteram ac negligentem in audiendo DEI Verbo attentionem, imperitia reperiretur. At multi sunt, qui corpore in templo existentes videntur quidem audire Verbum DEI, sed suis alibi cogitationibus vagantes, non magis, quam prorsus absentes, audiunt, de quibus ex Esa. 42. vs. 20. aptè dixeris: *apertas habent duas aures; nec tñ. audiunt.* Verùm si (diciente Lud. Viv. ad Introd. Sap. p. 316.) in Citharœdo turpè est, aliud ipsum ore, aliud fides ejus sonare; multò est turpius, cùm DEO psallimus, (addo ego: cùm Verbum DEI audimus) aliud linguam dicere, (aliud aures audire:) aliud animum cogitare. Multi sunt, qui ad nugas attentissimi, ad Verbum DEI audiendum dormientes sunt, ut, quid dicatur, minùs percipiant, quam Turba Joh. 12. vs. 29. minùs attenta, Vocem de cœlo non observavit; sed *alii tonitruum esse factum, alii Angelum fuisse locutum, dicebant.* Perpendere hi deberent exemplum Eutychi, differente Paulô, *dormientis, Et tertio cœnaculo decidentis ac mortui.* Act. 20. vs. 9. seqq. Quod periculoso somno longè periculosior est somnus ipsorum, cùm in pulvinari Satanæ dormiant in mortem sempiternam. Multi sunt, qui studiosè negatâ concionibus attentione, insuperque habitâ Voluntatis DEI revelatæ cognitione, omnem hanc, tanquam ad se prorsus non pertinentem, Ministerio Ecclesiastico curam securè relinquentes, ipsi res hujus seculi fluxas curant, tractantvē. *Hi de sua incerti religione, ex aliorum pendent opinione, fluctuant, ac tempore temptationis, armaturâ spirituali, suâ culpâ, destituti, miserè succumbunt.* Multi sunt, qui, ut liberiùs & minori cum irrequietæ morsi conscientiæ delinquere, cupiditatibusque obsequi suis possint, Verbum DEI malitiosâ, vel absentiâ, vel inter concionandum garrulitate, ab animo excludunt, conf. Sir. 21. vs. 17. 18. malentque hac in parte artem obliviscendi. quam memorandi. Hæc triplex est nequitia, coram judicio divino nq. excusabilis, sed digna æternō gehennæ incendiō. Multi sunt, qui vanâ seducti persuasione, quasi doctiores sint, omnibus Eccl. Ministris, iis diligenter auscultare detrectant, quos B. Luther. Tom. V. Jen. fol. 147. his zelosis redarguit Verbis: *Alle Wort Gottes wollen haben/ daß man darauff mercke/ und nachdenke / und nicht so über hin laufse/ und lasse sich dumcken/ man habe sie zu grund rein auß verstanden/*

65 59. 65

---

standen/wie die leichtfertigen/sattsamen/ überdrüssigen Geister  
thun; wann sie ein Wort Gottes einmal gehöret haben/ so muß  
es ein alt Ding seyn/ und gaffen auff etwas neues/ als könnten sie  
alles und alles/ was sie gehöret haben. Welches gar ein gefährlich  
che Plage und böse heimliche List des Teufels ist/ der damit die  
Leuth furchtlos/sicher/fürwichtig/und zu allerley Frathum und Rots-  
cerey geschickt und bereit hat. Solcher heilloser Leuth hat der Teufel/  
jeß sonderlich vil unter der Rotten/ da kein Sudler nicht ist/  
so er eine Predigt gehöret / oder ein teutsches Cap. lesen kan/ so  
macht er sich selbst zum Doctor, und krönet seinen Esel / beredet  
sich selbst fein/er könnte nun alles besser/dann alle die ihn lehren.  
Meister Klügel heisset man dieselbigen/ die das Roß am  
Schwanz können zäumen. Solches alles (sage ich) kompt  
daher/dass man Gottes Wort so leichtfertig liest und höret/ und  
nicht mit Furcht/Demuth/und Fleiß darauff mercket. Conf. Ca-  
tech. Maj. Luth. p. 428. Plurimi denique sunt, quibus Verbum,  
dum adlabitur, elabitur; dum adfluit, diffuit; dum affulget, extingui-  
tur; dum spirat, exspirat; dum oritur, moritur. Illos intelligo, qui  
non tm. frigidè ac perfunctoriè audiunt Verbum, sed etiam ex tem-  
plo domum reversi non meditantur, ac rursus animo ipsis excidit,  
nec unq. in cordibus eorum radices agit, hincque nullos bonos fru-  
ctus ferunt. Hi sunt semper discentes & nq. ad scientiam Veritatis  
pervenientes. 2. Tim. 3. vs. 7. Similes viro consideranti vultum na-  
tivitatis sue in speculo, statimq; in abscessu, qualis fuerit, obliviousenti.  
Jac. 1. vs. 23. 24. Pudor profecto ingens est, inveniri in tam co-  
piosa Evangelicæ lucis claritate homines, qui vix plus nihil sci-  
unt de Christo, & tn. volunt esse Christiani. Christiani sunt oves  
Christi, quæ cognoscunt Christum; qui ergo sunt ignari, non sunt oves  
Christi: nam licet baptismum acceperint; tu. Verbum, ut ex eo Christum  
pleniū agnoscerent, non curant. Apostolus reprehendit Corinthios  
1. Cor. 15. vs. 34. quod reperti fuerunt inter ipsos nomen Christianum  
gerentes; & tn. nullam, aut valde exilem DEI & rerum divinarum  
cognitionem habentes. Similiter Hebræos. Hebr. 5. vs. 12. quod in Chri-  
stianæ doctrina religionis nondum, quantum oportuerat, propter fœdam  
in audiendo socordiam, profecissent; cum tn. docente eōd. Hebr. 6.  
vs. 1. ad majora esset progrediendum, nec semper in rudimentis baren-  
dum. Talis & hodiè quorundam est ignorantia, qui cum multos

anno Evangelium audierint; tñ. ne catecheseos quidem capita vel memoriter saltem intelligunt, quia sacras superficialiter conciones audiverunt. Rati quippe, se, modò in Ecclesiæ Congregatione fuerint, et si nihil didicerint, hoc ipsò jam fecisse officium Christianorum. Hinc in doctrina cœlesti non fundati, circumferuntur facile ab omni vento doctrina in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris. Eph. 4. v. 14.

Stimulus  
impulsus.

§. 3. Verum n. v. ad Verbum D E I memoriter capiendum ac tenendum, cùm p̄cepti Divini, tūm fidei Christianæ ratio necessitat. Illius quidem, cùm D E U S in V. T. Magistratui librum legis describendum, secum habendum, legendum ac meditandum jugiter, Deut. 17. v. 18. Jos. 1. v. 8. & populo Israëlitico, legem cordibus penitus infigendam, filiis acuendam, domi forisq; nocte dieq; meditandam, manibus frontibusq; in signum alligandam, postibus domus, portisq; inscribendam, nec non in angulis vestium gestandam, ut quoquo versum oculos conjicerent, omnium D E I mandatorum recordarentur, Numer. 15. v. 38. Deut. 4. v. 9. c. 6. v. 6. c. 11. v. 18. ita Christus in N. T. Scripturam omnibus scrutandam, Joh. 5. v. 39. acceptam & auditam in mente habendam. Apoc. 3. v. 3. Et Apostolus Verbum Christi in nobis abundanter habitandum in omni sapientia Col. 3. v. 16. serio mandaverint. Hinc adeò diligenter commendatur exemplum Matris Christi, conservantis omnia Verba ejus in corde suo. Luc. 2. v. 51. Auditorum, conciones Christi ardenti desiderio ad animum admittentium, ac plenè intelligere, & firmissime in memoria retinere, cupientium. Marc. 4. v. 10. Samaritanorum, intendentium diligenter dictis a Philippo, unanimiterq; audientium Evangelium de Christo. Act. 8. v. 6. Et Beroënsium, Verbum cum omni aviditate suscipientium, & audi-  
dicta à Paulô & Silâ ita se haberent, quotidiè scrutantiam scripturas Act. 17. v. 11. Decrevit etiam D E U S, se Spiritu S. suò per Verbum annunciatum, auditione perceptum, & memoriae commendatum, velle in nobis efficacem esse, & corda ad veram pœnitentiam agendam infletere, & in vera fide conservare. For. C. Art. xi. p. 802. Fides quoque Christiana Verbum memoriam complectendum esse exigit, cùm ea, quippe notitiâ, assensu & fiduciâ constans, nequeat sine aliqua rei creditæ notitiâ, saltem quoad dñm, et si non semper quoad dñm, esse; nequeat brutô judicio rei ignotæ assentiri, nequeat sano motu, nisi in cognitum, οὐ γνωφασθεῖν. Quod constat ex cœci-  
nati,



nati, & à Christo curati, exemplō, qui à Christo interrogatus Joh. 9. ¶ 35. credisse in Filium DEI? respondit ¶ 36. Quis est, Domine, ut credam in eum? Ubi Cœcus noluit credere in incognitum DEI Filium. Quare Christus eum erudivit. ¶ 37. 38. Cognitō itaq; Christō, dixit: Credo, Domine. Idem porrò patet ex Esa. 53. ¶ 12. Joh. 17. ¶ 3. Sap. 15. ¶ 3. Adde Hebr. 11. ¶ 1. Fides est elencbus; at quomodo arguet sine cognitione? Et hæc quidem cognitio adeò est necessaria, ut etiam naturā muti & surdi, ex auditu Verbi Div. fidens concipere nequeentes, per picturas, nutūs & gestūs debeat informari, quod cognitionem de Christo, fiduciam cordis in ipsis generantem, & ad salutem sufficientem hauriant. Bald. C. C. lib. 2. c. 12. Cas. 12.

¶ 4. Ita ergo summā curā, studiō ac diligentia nobis tradandum est Verbum DEI, ut ea, quæ ex eo discimus, recitare, meditari, nosque invicem, juxta monitum Pauli. Col. 3. ¶ 16. docere ac monere possimus; adeò quidem, ut Minister Eccl. cum Paulo nobis, ut prudentibus, loqui. 1. Cor. 10. ¶ 15. nosque collaudare queat, ex Rom. 15. ¶ 14. Id quod citra memorialem Verbi impressionem fieri nequit: tm. n. scimus, quantum memoriam & iudiciō tenemus. Tenenda autem doctrina cœlestis ad salutem necessaria ac sufficiens, non tm. Theologiæ Studiosis specialiter sic dicta, sed & singulis omnium ordinum hominibus. Nam quamvis non omnes homines sint Theologi professione, ut alios doceant publicè viam salutis; debent tamen esse confessione. Evolve Rom 10. ¶ 8. 9. 1. Joh. 4. ¶ 1. Matth. 7. ¶ 15. 1. Petr. 3. ¶ 15. Quomodo n. reddent rationem fidei suæ, errantes, nescientesq; scripturas, neque virtutem DEI. Matth. 22. ¶ 30. Rom. 15. ¶ 4. Quapropter pueris ab ineunte ætate in Catechismo, moxque in legendis sacris Bibliis piè ac diligenter exemplō Timothei. 2. Tim. 3. ¶ 15. versandum, sacras postea conciones multò majore cum fructu audituris. Adultis, p. animo presenti, p. repetitione frequenti, incumbendum est discendo DEI Verbo: nam si gentes in sacris suis per Praconem denunciari adstantibus curârunt: Hoc age! admonentes, sacra facientes non aliis occupari cogitationibus debere; quantò magis Christianos in auditu Verbi decet, non distracto hinc inde ac vagabundō animo cultum hunc DEO prestare? Luc. Osiandr. in Sir. 18. Ac, cùm Repetitio sit Mater eruditionis, Verbum DEI nq. non præ auribus & oculis habendum, auditum mente pertractandum. Job. 5. ¶ ult. dicta.

Ductus Di-  
ascalicus.

dictaque scripturæ & exempla in sacris concionibus allegata, domi in Bibliis solicite inspicienda. Eā n. piâ sedulitate ac ruminazione Diabolus, ex animo hominum Verbum eripere satagens, profligatur, fides Vera confirmatur, sana doctrina mentibus melius imprimitur, intelligentia cœlestium Mysteriorum clarior auctorité redditur; *habenti enim dabitur* Luc. 8. v. 18. ac operibus deinceps ipsis perficitur. De quo postremo jam

### THEISIS IV.

#### Verbum DEI audiendum est efficaciter.

§. 1. **H**oc ult. Correquisitum est verè punctum illud extremum, in quod tria priora contendere, & tanquam in complemento suō ad æternitatem absolvi eā quidem summâ exigentis connexionis necessitate, debent, ut hōc absente, illa reddantur cassa non secus, ac Christus quadruplicem auditorum ordinem esse docens, ultimum saitem approbat. Matth. 13. Unde non in illis tm. debitè, sed & in hoc maximè exsequendō omnis universis singulicura, opera atque studium solicite collocandum, *Verbum nempè per aures avidas veneranter ad intima cordis penetralia demittendum, inibiq; radices agere ac fructificare permittendum esset.* At v. rarissima hæc, mirandum deplorandumque in modum perditâ sensentis mundi ætate, avis est. Proinde, ut differentia falsos inter & genuinos Christianos, quoad quartam hanc verbi audiendi rationem, transpareat, bipartitò eos lustrabo.

**Vanè glo-  
riabundi.**

(1.) de appelle-  
tatione Chri-  
stianâ.

§. 2. Prior classis Titularium sive nominalium est, qui haberi, non esse Christiani, volunt. Inter hos ( $\alpha$ ) numerō excedunt vanè gloriabundi, qui imaginarium ac labiale Christianismum externō tm. ore, psittacorum more, crepant; reipsa Epicureismum & Ethnicismum vivunt. O damnandam turpidinem! Quid hos juvat verbis magnificè sese appellitare Christianos, cùm opere ipso nihil declarent Christianis dignum? Nomini saltem putamine speciosè sese ostentant; nucleus autem ipsius rei non habent. Scil. ut fratres Josephi se probos esse Viros dicebant. Gen. 42. v. 11. & impii Judæi: *Pater noster Abram est, ingeminabant Joh. 8. v. 39.* ita hi se se veros Christianos, & filios ac hæredes DEI falsò obtendunt, ita, ut nihil tritus apud ipsos & vulgarius sit nomine Christiano, sed nihil rarius re & personâ.



sona, juxta illud: *multi homines misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inveniet?* Prov. 20. v. 6. *Mendacium. v. est, se Christianum dicere, & opera Christi non facere: mendacium est, Episcopum, sacerdotem, vel clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari.* Ambros. Similes sunt formosis, sed improbis, venustæque ac egregiæ exornatae meretrici. Et sub prætextu libertatis Christianæ, quæ cum Corinthiis valde abutuntur, quasi nihil non ipsis licet, modo Christiani vocentur, pravis carnis concupiscentiis frenum laxant. Sunt Christiani non secundum esse, sed secundum dici; nomine Christiani, opere Judei; titulō Israëlite, re populus Gomorrha, & filii Belial, præter nomen nihil Christianum habentes. Arrigant hinc aures & audiant, quid fratres Josephi, durius tractati, mox invicem confessi fuerint. l. c. v. 21; quid Christus responderit Judeis: l. c. & Angelo Ecclesie Sardis: Apoc. 3. v. 1; quid Job. Baptista. Matth. 3. v. 7; Quid Paulus doceat Rom. 8. 9. & 10. capp. Galat. 5. v. 13. 2. Tim. 2. Tim. 2. v. 19; quantoperè Jacobus c. 2. corripiat eos, qui Christianismum verbis magis, quam reipsa profitentur. Meminerint, quid dixerit Cypr: *Qui cupimus esse Christiani, debemus, quod Christus docuit, imitari.* Intelligent, quisnam dicendum sit bonus Christianus? Qui fidem Catholicam profitetur, & juxta eam, ut Christianum decet, vivit. Christianus nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus (prout valet) coequatur, Cypr. Christiani nomen frustra fortitur, qui Christum minime imitatur: quid n. tibi prodest vocari, quod non es, & nomen tibi usurpare alienum? Aug. Cogitent, Christianum non esse rem vilem ac facilem, cum Christianum esse majus sit, quam Regem esse; B. Lans. Consult. p. 801. Quid? summum mysterium, maximum miraculum, glorioissimum & sanctissimum DEI plasma; imo omnium mysteriorum, miraculorum, & plasmatum divinorum amphitheatum, speculum, sigillum, centrum, & compendium est Christianus. Existiment, non nudum nomen, sed rem ipsam facere Christianum, perinde ac Pontificii dicunt, non habitum & tonsuram, sed mutationem morum & integrum mortificationem facere verum religiosum. Studeant ergo verum Christianismum moribus magis quam sermonibus exprimeré; & quia à Christo Christiani dominantur, etiam ipsius virtutes imitantur, vi dicti Matth. 11. v. 29. i. Petr. 2. v. 21. Cum n. Christus sit Veritas vera Joh. 15. v. 1. veri autem Christiani palmites; certe non Pampinarii, sed fru-

G Guarii,

B. Meissn. Q.  
rat. de Chri-  
stiano.

Etuarii, fructum afferentes centuplum efficacia vitis, cui inex-  
 stunt. In hac igitur vite manendum, in hac subsistendum & fructi-  
 ficandum, si quis Christiani titulum mereri, nec foras ejici desiderat.  
 Sanè Christum verbotenus profiteri suum Salvatorem, & in hoc agnitio-  
 nem, cultum atq; timorem Dei fingere; interim eō in corde & operi-  
 bus negatō. (Vid. Tit. 1. vſ. 16.) à labe Judaismi ac Turcismi non mul-  
 tū distat. Christus n. non minūs, imò magis impiā vitā, quām  
 verbis, negatur: non itaque verbis tm. confiteri Christum, sed e-  
 undem quoque moribus exprimere, quod sit studiō imitandi ipsum,  
 oportet. Huc refer col. 2. vſ. 6. 1. Joh. 2. vſ. 6. Joh. 8. vſ. 12. Non  
 solum Christi passio sit Christiani meritum; sed & Christi actio sit vitæ  
 ejus exemplum: Alioqui qui Christum detrectat sequi, Christum non con-  
 sequetur; nec eō fruetur, qui eum non vult imitari. Consequenter  
 nec gloriatio de agnitione Dei bona est. Vid. 1. Joh. 2. vſ. 4.  
 Cultus est profanus: nam Deus laudatur & honoratur non ver-  
 bis tm., sed pietate impr. vitæ, gratitudoque Deo morum inno-  
 centiā probatur. Timor Dei simulatur potius, quām habetur:  
 nam Deus verè timetur, gnaviter faciendo ea, quae ipsi grata  
 esse, ex Verbo ipsius constat; quæque displicent, vitando. Por-  
 rò, quid juvat de Ecclesia ac religione gloriari, profitendo: apud  
 nos viget vera, sincera, orthodoxa, Evangelico-Catholica Ecclesia atq;  
 Religio; & interim nec fides nec mores professioni respondent? Sc.  
 hi illi, qui dicunt, se Iudeos esse, & non sunt; sed sunt Synagoga satanæ.  
 Apoc. 2. vſ. 9. adeoque mentiuntur. c. 3. vſ. 9. Ut n. non omnes,  
 qui ex Israël sunt, hi sunt Israëlitæ, &c. Rom. 9. vſ. 6. ita non omnes,  
 qui jāstant titulum Ecclesiæ Evangelicæ, sunt tales; sed qui ve-  
 rè in Christum credunt, & professionem fidei morum sanctitate or-  
 dare student. Sanè increduli & flagitosi, si dicant se habere so-  
 cietatem cum Deo, ac viva esse Ecclesiæ membra, mentiuntur,  
 etiamsi in externa ejus congregatiōne versentur 1. Joh. 1. vſ. 6. 7.  
 Quorum corda fide purificantur, totaque juxta Dei Verbum vi-  
 ta instituitur, ii proximi Deo; contaminati autem & perverfi, aversi  
 à Deo. Act. 15. vſ. 9. Prov. 21. vſ. 8. Ecclesia dicitur mons Dei  
 pinguis Ps. 68. vſ. 15. 16. Qui ergo palmites spiritualiter infrugi-  
 feri, in Ecclesia numerus tm. sunt; vel ut Apostolus loquitur: in  
 magna Dei Domō non vasa aurea & argentea, sed lignea & fistilia, a-  
 deoque non in bonorem, sed in contumeliam. 2. Tim. 2. vſ. 20. Si quis  
 autem

2. De Eccle-  
sia & Reli-  
gione.

autem emendaverit se ab istis, erit vas in honorem &c. At tunc bona est gloriatio de Veritate Religionis Christianæ, cùm reipsa ejus declaratur professio, quæ requirit immutationem & renovationem animi, inductionemque novi hominis ita, ut uterque ~~avertatur~~ & conspiciatur. Eph. 4. v. 22. seqq. Ut ergo laus eloquentiae non affectanda Ministris, fructu interim admodum exiguō in Ecclesia docentibus: ita religio Christiana auditoribus non in lingua tm. habenda; sed in effectu veræ pietatis demonstranda: Evolve i. Cor. 4. v. 21. 1. Thess. 4. v. 7. 2. Tim. 2. v. 5. Pari 3. De Mini-  
cum gloriacione de religione & Ecclesia modō se quoque gloriatio sterio.  
de puro ejusdem Ministerio habet: cùm quis multum garrit, de possessione legis & Evangelii, sinceraque ejus prædicatione, ac de legitima sacram. administratione; adeoque loquitur de fædere DEI  
cum G. H. initō; gloriatur, se esse redemptum sanguine Christi; jaētat,  
se baptizatum, se fugere pseudo-propetas &c; & interim negleētō verbi obsequiō, piām & irreprehensibilem vivendi rationem tq. carcerem,  
abominatur, fædissimè suis obsequens cupiditatibus. Scil. ut Israëlitæ olim stultè putarunt, ob externam Arcæ præsentiam, sese, quamvis impœnitentes, hostibus terrori ac vietiore fore: unde & temerariè eam ex Silo in castra contra Philistæos adduxerant; sed non  
juvit eos, quippe & ipsa capta, sacerdotes occisi, populusq; cæsus, i. Sam. 4. v. 4; aut, ut Judæi frustra illū suū repetierant coccysmum:  
Templum Domini &c. Jer. 7. v. 4. nec non seipso circumcisos appallentes, vanè ea in re gloriabantur, cùm fuerint tm. circumcisi  
quoad carnem manibus hominum, non quoad corda spiritu DEI  
Rom. 2. v. 28. & proindè connumerati gentibus, ad populū  
DEI non pertinentibus, Jer. 9. v. 25: ita vesanè opinantur, gratisque jaētant h̄c diē illi, se esse Christianos satis bonos, si Ministerium Verbi & sacr. purum ac legitimū habeant in medio sui,  
eoque externè utantur, vel non utantur, nec vitam juxta illud instituant. Ita Germania scribit Luc. Osiandr. in Matth. 16. jam  
per multos annos Verbum DEI, sed non magnō fructu, audit. Hinc  
devoti Ecclesiæ Ministri, auditores in peccatis securè pergere, neque sanis affici admonitionibus, videntes, dolent; imò Deus jam  
olim de similiū impietate populorum graviter conquestus est Jer.  
12. v. 2. Ezech. 33. v. 30. seqq. Nam, ut frustra jaētant charita-  
tem, ac vitæ sanctimoniam, qui corruptam profitentur doctrinam;

ita frustra gloriauntur de sincera Evangelii doctrina, qui flagitosè vivunt & charitate sunt vacui: *Frustra preclarè ac eruditè docetur, ubi nemo est, qui auscultet: Frustra bene ac salutariter monetur, ubi nulla subsequitur emendatio.* Ut n. bonæ leges non tm. ferendæ, sed & observandæ; ita Verbum D E I non tm. prædicandum, sed &, quod id requirit, ipso opere faciendum. Non sufficit, amplecti Evangelium Christi; sed etiam dignè eō vivendum: *Non sufficit, abstinere à fermento falsæ doctrinæ.* Matth. 16. v. 6. sed etiam sceleratae cavenda vita turpitudo. 1. Cor. 5. per tot. *Ut circumcisio, servatā lege, profuit: non servatā, facta est preputium.* Rom. 2. v. 25; ita baptismus suppositā fide & piā vitā, prodest: utq; non qui in manifesto, sed qui in abscondito, fuit Judeus; ita, non qui externè jactat Christianismum, gloriaturq; de baptismo, sed qui cor gerit Christianum, veraq; fidei & pietatis documenta conspicienda præbet, est Christianus. Verbo: Professio sinceræ doctrinæ integritate & munditiâ vitæ est ornanda: nam Evangelium non docet, quasi liceat unâ cum divini professione Verbi profanam ducere vitam; vide Tit. 2. v. 11. Cùm ergò nos ex gentibus oriundi, ex singulari D E I gratia & misericordia purum D E I Verbum copiosè habeamus, Evangelicarumque participes promissionum facti simus, pro immenso hōc D E I beneficio, non solū verbis, sed impr. factis ac novâ obedientiâ D E O gratitudinem declaremus. Neque existimemus, nostro satisfactum esse officio, si sinceros audiamus Doctores & admireremur; interim v. ipsorum doctrinæ non pareamus: Nam ut non sufficit dicere: *Domine, Domine;* & interim non facere facienda. Luc. 6. v. 46. ita non sufficit, habere Verbum; nec tn. ei obsequi. Auditum itaque Verbum per expressionem factorum ad usum nostrum transferamus: ita ex recto Verbi & inculpatæ vitæ studiō, nos esse à D E O electos, colligere licebit. Cum diuisi jam gloriationibus incedit & illa, quā fides, pietas, charitasque simulantur: ut cùm quis de vera fide, quā tn. se carere malefactis imprudens testatur, vano ore gloriatur. Apud talem, professione fidelem, actu nullum, fides est *titulus sine re, vel res de solo titulo.* Quam vanitatem Jacobus satis redarguit, vid. Jacob. 2. v. 14. seqq. ubi ejusmodi fidem dicit esse *mortuam, & Diabolis communem.* Non ergò sufficit externa fidei professio, sed ut quis verè fidelis habeatur, necesse est huic signo accedere opera pietatis, proculque

4. De fide,  
pietate &  
charitate.



culque abesse vias carnis: fides n. non potest existere in his, qui secundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus suis & obtemperant iis, nec existit cum mortali peccato. Apol. A. C. p. 86. Unde Paulus afferit, Christianos debitores esse, non carni, ut secundum carnem vivant: proinde professio fidei morum confessimata est ornanda. Ornanda, inquam, non tm. ore pietatem profitendo; dicendo & non faciendo, sicut Saul dixit, se audivisse vocem Domini, & ambulasse in via, per quam misit eum Dominus; & tamen non fecit. 1. Sam. 15. v. 20. sed revera & genuinè, juxta Dei mandata, quantum quidem in hac carnis fieri infirmitate potest, eam praestando. Adeò que dilectio Dei & proximi habenda, secus, ac olim Israëlitæ, Ps. 78. v. 36. 37; secus, ac qui hodiernum charitatem jactant, & blandè simulant sermone; re autem ipsa non demonstrant: tales sunt similes nubibus, pluviam promittere visis, nec tamen eam dimittentibus. Prov. 25. v. 14. Unde rectè Rungins: Illustre, ait, est nomen charitatis Christianæ; sed nomen magis notum, quam res, præsertim his postremis seculis; secus denique, ac qui salvò (ipsorum opinione) amore Dei, inimicitias cum aliis verè Christianis gerunt, odia sovent, felicitati & vitae illorum invident atque insidiantur. Sed hi, velim, audiant omnes, quid scriptura dicat: Marc. 12. v. 31. Joh. 14. v. 23. 1. Joh. 3. v. 18. 19. c. 4. v. 20. c. 3. v. 14. 15.

§. 3. Labiales Christiani sunt ( $\beta$ ) Theoretici, qui Christum in codicibus, non in cordibus habent; qui veram ac cœlestem doctrinam in ore, non in pectore gestant; quique, ut Athenies, nōrunt, quid sit honestum, sed non faciunt. Quot n. sunt, qui vident multa, nego, observant. Esa. 42. v. 20. qui bene docent, sed male vivunt; qui alligant onera gravia, & importabilia, ac imponunt in humeros hominum, digitò autem suò nolunt ea movere. Matth. 23. v. 4. adde Luc. 11. v. 46? Quot sunt, qui de sacræ Mysteriis scripturæ & articulis religionis Christianæ doctè & accuratè differere possunt; sed quod ore dicunt, opere non ostendunt: qui multa de fide disputant; & fidè nullam in corde habent: qui ore sanctorum Christi Evangelium profitentur; suis interim flagitiis religionem Evangelicam infamant? Quot sunt, qui aliorum errata ex Verbo Dei egregiè reprehendere queunt; ipsi tamen enormiter vivunt: qui Papisticam idolatriam, & alias hæreses solidè refutare didicerunt; interim vitam ipsi minime Christianam agunt: qui alios strictè correctos, conversosque

Allegante  
Rnđo ac piđ  
Dn. Burđo  
lim Past.  
Carp. in  
Hung. nunc  
Exul. Wra.  
tisl. in Mo.  
tiv. benef.  
Exul. p. 25.

volunt; ipsi corrigi convertique nolunt? Talibus praeter gravem  
 illam Pl. 50. vs. 16. seqq. redargutionem, meritò dici potest: Pro-  
 genies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Sc. Matth.  
 12. vs. 34. 35. Utinam vita horum scientiae ipsorum concordaret!  
 Utinam tam bene facient, quam loquuntur bene! O si tantam adhi-  
 berent ad extirpanda vitia sua & virtutes inferendas diligentiam,  
 quantam ad movendas quæstiones; profectò non tanta mala, tan-  
 taque in populo scandala fierent! Verùm scire desiderant omnes,  
 & plerique in eos subsistunt, neglecta pietatis praxi, ob depravatum  
 seculi morem, quod scientia cum admiratione celebrari, præmiisque  
 ornari solet; at probò dicitur esse probum: Ipse decor recti, facti si præ-  
 mia defint, non movet, & gratis pœnitet esse pium. Verùm falsus i-  
 pse fallit mundus: Nam ( $\alpha$ ) non appetenda, quæ foris admiratio-  
 nem præbere videntur; sed ea tota sedulitate tractanda, quæ  
 vitæ emendationem & fervorem dant: Omnia terrena cum Pau-  
 lo ut stercora, ad Christum lucifaciendum, existimanda. Philipp.  
 3. vs. 8.. magisque cum Mose eligenda afflictio cum populo D E I, quam  
 temporalis peccati habenda jucunditas; majores divitiæ thesauris Æ-  
 gyptiorum estimandum improprium Christi. Hebr. 11. vs. 25. 26. Quid  
 n. est homo inde melior, quia reputatur ab homine major? quan-  
 tum unusquisque est in oculis D E I, tm. est, & non amplius. Ni-  
 bil prodest, inquit B. Gerhard. si omnes te laudent, & conscientia accu-  
 set: econtra nihil obesse poterit, si omnes derogent, & sola conscientia  
 defendat. Huic nihil est occultum; ipsa est auctor, testis, judex, tortor,  
 carcer, flagellum, executor, carnifex. Unde is tm. verè gloriari  
 poterit, cui conscientiae testimonium de fide non ficta consonat,  
 teste Paulo 2. Cor. 1. vs. 12. ( $\beta$ ) tn. in exaltatione justorum multum  
 decus est. Prov. 28. vs. 11. Charitas Christi notitia supereminenter.  
 Eph. 3. vs. 19. adde Sir. 25. vs. 14. seqq. Et utiq. est fructus iusto  
 Pl. 58. vs. 12. siquidem hujus & alterius pietas fert præmia vita. I.  
 Tim. 4. vs. 8. Quare etsi spiritualium scientia rerum in se bona &  
 necessaria, non sit culpanda; conjungenda tn. ei, imò præferenda  
 semper est bonarum conscientia virtutum, juxta illud: Initium sa-  
 pientiae timor Domini, Prov. 9. vs. 10. adeoque dist. inter cognitio-  
 nem historicam, & salutarem: sine amore D E I omnis scientia inuti-  
 lis, imò noxia; scienti n. bonum facere, & non facienti, peccatum est  
 illi. Jacob. 4. vs. 17. E contra doctus verè ille est, qui voluntatem

D E I,



DEI, quam scit, non suam, facit; vide, quid dicat Johannes. 1.  
 Joh. 2. v. 3. 4. adde Tit. 1. v. 16. Merito quidem unicuique in-  
 id incumbendum, ut sit, aut fiat vere Orthodoxus, seu rectam fove-  
 at de religione opinionem, eaq; alios ignaros discendiq; cupidos imbuere,  
 contradicentes refellere, errantes corrigere &c. queat; hoc ipse tñ. ra-  
 tio orthodoxi tota non absolvitur. Vid. Rom. 2. v. 17. usque ad 24.  
 Nam δόξα non tm. opinionem, sed & gloriam significat, & inde ortho-  
 doxus, quasi Vir recta gloria dicitur, qui non tm. de recta doctrina, sed  
 & vita gloriari potest; qui & recte credit, & secundum eam fidem recte  
 vivit. Quō nomine non potest vocari, qui recta quidem dogmata ha-  
 bet, sed obliquè vivit, etiam si illud sibi p̄e aliis vendicet: doctrina n.  
 debet esse omnis sanctitatis fundamentum; alias cui bono est doctrina, nisi  
 pia ei vita superstruatur? Sola certe scientia Verbi DEI, quā quis  
 de religione & pietate eruditè & speciosè differere potest, cor in-  
 terim timore DEI vacuum habet, hominem minimè ornat: Va-  
 riis quippe instructus donis administrantibus; charitatem autem, seu  
 dona sanctificantia, non habens, haud aliter est Christianus, quam  
 & tinniens, aut cymbalum resonans, quod sonum quidem edit, sed nec  
 vitam, nec intellectum habet. 1. Cor. 13. imò nisi praxi vel maxime  
 gaudeat, quantacunque sit instructus eruditione, docente ibid.  
 Paulō, nihil est. Unde recte Francisc: Tantum scis, quantum opera-  
 ris. Et B. Brentius in Joh. 14. Evangelium non solum sciendum, sed  
 & fide ac fructibus servandum. Non ergo sufficit, ut saltem scia-  
 mus de veri erga DEUM & proximum Christiani officiis scitè dis-  
 currere; sed ut ea reipsa pro virili p̄estemus. Legisperitus Luc.  
 10. benè respondit ad quæsita Christi; sed annè propterea fuit ju-  
 stus? Garrire multum de religione Christiana etiam hypocritæ &  
 homines profanissimi possunt; oportet autem facere, in quo Chri-  
 stiana consistit perfe&io & absolvitur. Non prodest scientia my- Gerh. Med.  
 steriorum sine charitate, quia etiam Diabolo nota sunt mysteria; chari- 36.  
 tas autem solius vere pii propria: adeoque scientes saltem & non fa-  
 cientes similes sunt Dæmonibus, Christum non tm. scientibus Marc.  
 1. v. 24. c. 2. v. 34. Luc. 4. v. 4. sed & confidentibus, Marc. 4.  
 v. 11. Ita verò quis velit esse Christianus? Non denique reddit  
 beatum sola scientiæ magnitudo, præsente conscientiæ immun-  
 ditiâ coram DEO, qui potissimum ex facto aliquando iudicabit.  
 Certè in extremo iudicio non quæretur à nobis: quid legerimus? sed;  
 quid

quid fecerimus? nec: quam benè dixerimus? sed: quam benè vixerimus?  
 Non hunc statim pro filio suo & hærede vitæ æt. D E U S agnoscat,  
 qui multum scit; sed qui ipsum, & propter ipsum, proximum di-  
 ligit: qui docuerit & fecerit, inquit Salvator, hic magnus vocabitur  
*in regno cœlorum*. Matth. 5. v. 19. Item: Si bæc scitis, beati eritis,  
*si feceritis ea*. Joh. 13. v. 17. Quisquis itaque Christo nomen dedit,  
 hæc duo debet habere requisita. 1. Ut in sinceritate doctrina &  
 agnitione D E I proficiat. 2. Fructus honorum op. saluberrimos co-  
 piouse proferat. Cæterum legat studiosè Dedic. Medit. sacr. B. Meissn.  
 & in usum omnino convertat.

**Consuetudi-  
narii & Hy-  
pocritæ.**

§. 4. Nominalium numerum Christianorum au-  
 gent (γ) Consuetudinarii & Hypocritæ, quorum illi ex  
 pura puta consuetudine visitant templum; interim in auditu Ver-  
 bi Divini, cortice tantummodo contenti, nucleus, usu vero applican-  
 dum, ne attingunt quidem, nec ad quotidianum profectum  
 accenduntur, sed iuxta mores hujus seculi vivunt: Hi quoque, ne  
 aliis tales, quales sunt, videantur, ad publica sacra accedunt, ea-  
 que in re non volunt postremi videri; at templò vix egressi, mox  
 se volutant in luto improbitatis: *Manè publica inter sacra Angelos*  
*simulant*; à meridiè *Bacchanalia vivunt*, vide exemplum adulter-  
 ræ. Prov. 7. v. 14. Illi falsa de opere operato opinione fascinati,  
 putant, omnia se rectè habere, totamque in eo pietatem esse sitam,  
 si modò externas cultùs divini ceremonias observent, *sacras Evan-*  
*gelii conciones audiant, psalmos in templo canant, aliquot è libello pre-*  
*cationes recitent, cœnamq; Domini in anno aliquoties sumant*; interim  
 tepidi, imò frigidi manent, spiritualemque D E I cultum, pœni-  
 tentiam & invocationem nominis divini negligunt: perindè, ac  
 Papistæ quidam, si semel in die Missam audiant, omnia sua expia-  
 ta esse scelera autumant: Hi tempore sacrorum faciendorum ma-  
 gnam pietatis speciem, & ingens religionis studium præse ferunt;  
 interim virtutem ejus abnegant. 2. Tim. 3. v. 5. Illi, ut fucus ste-  
 riliis Luc. 13. v. 6. in externo Ecclesiæ cœtu vivunt, & Christians  
 se profitentur; interim palam secundūm carnem vivunt, nulla  
 B. O. faciunt, sibiique, non D E O, vivunt: Hi simiæ sunt sanctorum  
*in regno Christi hominum, opera illorum externe imitantes;*  
*perfectam v. viam ingredi, aut illum vincere vitium, minimè*  
*conantes (pii n. etiam remotis hominibus semper D E U M in confessu*  
*habent,*

babent, & ideo sicut in die honeste ambulant, Rom. 13. v. 13) Sunt parietes dealbati Act. 23. v. 3. scabros lapides nivea & albedinis tecto-riō abscondentes. Sunt sepulchra pigmentata, cadaverosam istā colo-rum venustate immundiciem tegentia Matth. 23. v. 25. seqq. Sunt po-ma Sodomitica, impuros sub aureo cortice cineres habentia. Sap. 10. v. 7. Sunt splendida templorum busta, intus fœdis olientia cadaveri-bus: avaritia nempē, odio, invidiā, superbiā, luxu, libidinibus, aliisq; pravis cupiditatibus. Foris videri volunt religiosi, intus sunt ple-ni nequitia: Similes profecto monachis, qui foris nitent sanctitate; intus scatent iniquitate: corpus in choro; animus in thoro: nocte vene-rem amplexantur, manū virginem venerantur. Innocent serm. 2. in die Cin. Tom. 1. p. 21. Illi scripturam videntur ad cœlum usque extollere; interim vitam ad ejus normam, nec reformat, nec in-formant. O perversitatem hominum! in secunda petitione petunt Spiritū S. gubernationem; & tñ. nolunt ei parere: in tertia implorant sanctitatem vitæ; & tñ. illam sequi non annituntur: Hi quoque ample-tuntur Evangelium Christi, sed propter spem majoris proventūs, atque libertatis, non ob animæ salutem. Illi, salvis rebus, laudant præstantem Concionatorem, honorant, dictaque & facta e-jus mirantur, ac de illis audire gestiunt; sed inde neque in re-ligione, neque in moribus fiunt meliores: Hi quoque externè Mi-nistros Ecclesiæ non videntur aversari; quin eorum comitatu sti-pari in frequentando cultu sacro gestiunt, saltem ut videantur ab hominibus; interim à pietate & religione cor ipsorum longè abest; uti constat de Saule, qui, cùm se euntem ad exercendum cultum comi-tari Samuel abnueret, retenturus eum, etiam alam pallii ejus rupit. I. Sam. 15. v. 25. Similiter Simon Magus creditit, baptizatus est, ad-barebat Philippo, & signa ac virtutes fieri, stupens admirabatur; sed perditissimum eum fuisse hypocritam, opera ostenderunt. Act. 8. Quid de his universim Deus dicat, ne graveris, pie Lector, in timore Domini videre Esa. 58. v. 2. seqq. Jer. 12. v. 2. Ezech. 33. v. 30. seqq. Matth. 15. v. 9. Luc. 6. v. 46. Certè physica è domo in-templum itio, physica aurium ad audiendum Dei Verbum accomoda-tio, qua est obedientia externa in viribus humanis posita, & à non-renatis quoque præstabilis, non sufficit. Vid. König. Th. Pos. p. 107. §. 240. seqq; sed requiritur & ire in templum informationis, ex Verbo Dei capienda, causā; audire verbum Dei animō proficiendi; teneri

H

des-

Citante B.  
Dieter. Inst.  
Catech. de  
Ecc. q. 6.

desiderio credendi; atq; habere serium juxta verbi prescriptum vivendi propositum. Ut autem ea locum inveniant, omnem hominum, prædicationem Verbi non decenti modò recipientium, culpam excusare necesse est. Inquiet: Quomodo possumus peccata vitare, & semper bene operari, cùm simus in peccato concepti, natū, & ad omnis generis delicta proni? Audiant; utique non ipsos, sed D E U M in ipsis operari velle & perficere; ipsi saltem admittant, & ne malitiosum ei obicem ponant. Claudicantes in utramque partem, cultum putà sacrum frequentantes, & simul impiè viventes, adeoque priori quidem resp. D E O, posteriori v. Diabolo, mundo & propriæ carni inservientes, non placere, vide Matth. 6. v. 24. 1. Cor. 10. v. 21. 2. Cor. 6. v. 14. 15. Quid est externarum observatio ceremoniarum, publicumque religionis exercitium, si nullam in Christum fidem, nullamque in corde charitatis D E I & proximi micam vigere, omnia cætera studia demonstrent? falsimonium est. Opere saltem operatō & externō D E O non placetur. D E U s sacrificia. Levitica in scriptis Mosaicis requivit, eorumq; formam & numerum in diebus festis observandum exaltè descripsit: eadem tñ. in libris Prophet. sèpiùs respsuit, quia Judæi illa non offerebant ex fide in Messiam, & corde pœnitenti; sed putabant, placere D E O ex opere operatō. vid. Esa. 1. v. 13. c. 66. v. 1. seqq. Prov. 15. v. 8. Sir. 35. v. 1. seqq. 4. Esd. 11. v. 31. Ita frigidus hodiernorum ac inanis cultus Christianorum, externus verbi auditus, & sacramentorum usus, vel potius abusus, non facit veros Christianos; sed oportet habere Spiritum Christi, quem qui non habet, non est Christi. Rom. 8. v. 10. Etsi ergo subinde quis visitet templum, multas in eo demur muret preces, canticis D E U M laudet, audiat Verbum, sacramenta usurpet, & eleemosynas eroget; si tñ. animum intus habeat infidelem, & sine vera pœnitentia ac pietate in securitate carnali vivat, nullam D E I gratiam reportabit. Exterior m. ejus cultus n̄l nisi mera hypocrisis & occultæ in corde impietatis tegumentum est. Quō fit, ut D E U s peccatores orantes non audiat Joh. 9. v. 31. David n: s iniquitatem, inquit, ad spexissim in corde meo, non exaudisset Dominus. Ps. 66. v. 18. Itaque perinde est, ac si non orarent; imò pejus: reputatur enim ipsorum oratio pro peccato; cùm, quod non est ex fide, peccatum sit. Rom. 14. v. 24. Nec speciosa est laus in ore peccatoris. Sir. 15. v. 10.; sediret os decet collaudatio. Ps. 33. v. 1. Notum porrò est distichon:

Non



*Non vox, sed votum; non musica cordula, sed cor;*

*Non clamans, sed amans, cantat in aure D E I.*

Nec sat est audire verbum; Christus n. Joh. 8. vſ. 51. dicit: *Si quis sermonem meum NB. servaverit (non v. saltem audiverit) h. e. ei obedierit, & secundum illum vixerit, sicut ipse Christus vſ. 56. non videbit mortem in aeternum.* Conf. Jacob. 1. vſ. 22. Non annuntia-  
tur verbum tm. ut audiatur, sed ut opere compleatur. Deut. 5.  
vſ. 1. Qui verbum D E I audiunt, in luce salvifica versari debent;  
verbum n. est *lucerna pedibus* Ps. 119. vſ. 105. *Nec sacramentum,*  
*sed fides sacramenti justificat.* vid. Marc. 16. vſ. 16. Matth. 26. vſ.  
26. ubi verbum *pro vobis* requirit omnino corda credentia. Luth.  
Catech. Min. p. 382. Nec eleemosynæ hypocriticæ D E O sunt  
gratæ. vid. Matth. 20. vſ. 1. seqq. Marc. 12. vſ. 21. 1. Cor. 13. vſ.  
3. Quid insuper est, arduum religionis studium præ se ferre, ex-  
terneque se tm. piè gerere, & sic testimonio saltem hominum ni-  
ti, D E U M autem in corde non timere? hypocrisy est. *Internum Gerh. Mell.*  
*conscientia testimonium efficacius est, quam externum: quamvis ergo XXXIII.*  
*peccata tua fugiant omnium hominum accusationem; nq. tn. effugere po-*  
*teris internam conscientia testificationem.* Uti mixta religio D E O  
est abominabilis, quod patet de Samaritanis; ita & mixta ex pie-  
tate & impietate vita, seu *populus ex vera religionis professione &*  
*corruptis moribus compositus.* Adeoque vita boni Christiani omni-  
bus virtutibus pollere debet, ut sit talis interius, qualis videtur  
hominibus exterius: imò multò plus debet esse intus, quam quod  
cernitur foris, quia inspecto noster est D E U S. O si cogitaremus,  
D E U M videre omnia, quæcumque agimus, certè minus peccare-  
mus! Quid denique est, verbum ejusque Ministros suspicere; in-  
terim saluberrima eorum monita posthabere? profana pietas est:  
quin potius, quæ dicuntur, credenda; quæ jubentur, facienda;  
quæ prohibentur, fugienda; quævē adversa ferenda imponuntur,  
ferenda sunt. Ita demum verus erit, agnoscereturque Christianus.

§. 5. Imaginiorum tandem Christianorū agmen  
claudunt (δ) dissolutissimi, obstinatissimi, scandalosissimi  
probrosissimiisque, qui nomen Christianum vitâ flagitio-  
sâ sordidant, sinceram religionem foedis moribus dehonestant, E-  
vangeliumque Christi Epicureâ securitate conspurcant. Dum  
proæretice de uno scelere in aliud ruunt, in carnalia se totos de-

Omni Infa-  
mes dedeco-  
re.

mergunt, iisque diffluunt adeò, ut vitia apud eos non modò in  
 mores abeant; sed etiam de iis, tq. virtutibus, & re benè gestâ, glo-  
 rientur, ac ad eorum, quamvis horribilium, commemorationem su-  
 viter rideant. *Super quibus pium quemq; tremor apprehendit, Ps. 119.*  
*¶ s. 53.* illorum autem tam detestanda est duries, ut cùm ex ver-  
 bo Dei horrendas de temporalibus & æternis peccatorum suppli-  
 ciis comminationes, sanasq; admonitiones audiunt, securissimè  
 contemnant, fiduciam in humanis præsidiis collocent, nec ullum  
 unq. veræ indicium resipiscientiæ ostendant; adhuc impudenti con-  
 tumaciâ regerentes: *Manda, remanda; expecta, reexpecta; modicum*  
*ibi, modicum ibi. (b. e. Hens tu, Preco verbi, mandas iterum iterum-*  
*que ex lege, quid nobis sit faciendum; nos tamen non faciemus, sed more*  
*vivemus nostro: inculcas nobis etiam atq; etiam, in oboris difficultati-*  
*bus expectandum esse auxilium divinum; sed nos, nisi nobis ipsis consu-*  
*leremus, hautquam consolatoriis tuis juvaremur pollicitationibus:*  
*profers deniq; nobis jam ex hoc scripturæ libro modicam particulam, jam*  
*ex alio particulam, ut nos in tuam pertrahas sententiam, sed nos istas tuas*  
*consarcinatas non curamus conciones, ex Comm. Luc. Osiandr. f. h. l.)*  
*Percusimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum*  
*inundans cùm transferit, non veniet super nos. Esa. 28. ¶ s. 10. 15. Conf.*  
*Comm. Luc. Osiandr. f. h. l. adde Jer. 44. ¶ s. 16. Matth. II. ¶ s. 16.*  
 Unde tantò licentiùs scelera designant, quantò verius illa pro con-  
 cione taxantur. Existimant n. se Ministris Ecclesiæ ægrè facturos,  
 si reprehensi multò deinde impudentiùs peccent. Sie wollen dem  
 Pfaffen zum Troß des Teufels werden. *Luc. Osiandr. in Ose 7.*  
 Qui alia similiter membra per pravam societatem facile corrum-  
 punt: *modicum n. fermentum totam massam fermentat. I. Cor. 5. ¶ s. 6.*  
 Liberi ex malis parentum gestibus, dictis & factis similem assu-  
 munt morem, & retinent non minus, ac in ceram facillimè impri-  
 mitur character ob mollitatem, & diu servatur figura. Juniores  
 notiorum impoenitentium Seniorum exemplum æmulantur, peco-  
 rum ritu sequentes antecedentem gregem, pergentem, non quâ e-  
 nnde, sed quâ itur. Auditores pastorum (*plus destruentium Ec-  
 clesiam Christi vocibus morum, quam adificantum vocibus verborum*)  
 reprobâ vitâ, ceu infatuatâ sale, perduntur. Denique Regis ad  
 exemplum totus componitur orbis; ut proin' optimatibus perversis,  
 plebeim quoque esse nequam, mirum non sit. *vid. Jer. 5. ¶ s. 4. Ad-*  
 de,

de, quod inordinata Christianorum vita, extraneorum, non modò accessum ad Ecclesiam sufflaminet; animadvententes n. mores & humores nostros, facile à limine Ecclesiæ resiliunt: sed etiam calumniis occasionem det. Nomen n. Dei blasphematur inter gentes Rom. 2. vñs. 24. religio vera exponitur adversariorum convitiis, & sanctum Christi Evangelium apud hostes veritatis malè audit. Nam dicunt, dissolutionem morum, non ex verâ, sed falsâ religione oriri; cùm constans sincerusque veræ securator religionis à peccatis sibi caveat. Conf. Matth. 7. vñs. 17. seqq. de arbore bonâ non nisi bonos, & malâ, non nisi malos fructus ferente, & i. Joh. 3. vñs. 9. de nato ex DEO, non peccante. Cùm itaque quid apud nos perperam sit; en, inquiunt mox, hi sunt fructus vestri Evangelii: non expidentes, semen verbi DEI, quod nos in Ecclesia nostra habemus, in se esse bonum, ac incorruptibile i. Petr. 1. vñs. 23; culpâ autem hominum solâ impeditum, non ferre fructum. vid. Diet. Inst. Cat. de Eleçt. Q. 9. Ipse Deus, Esa. 5. vñs. 2. testatur, se vineam diligentissimè excoluuisse; & tñ. fecisse labruscas: vitione culturæ? caveant, dixerint. Quibus m. Aug. lib. 1. de morib. Eccl. Cath. c. 34. sic responderet: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesia Catholica maledicere definatis, vituperando mores hominum, quos ipsa condemnat, & quos quotidiè tq. malos filios corrigere studet. Fugiamus ergò impiam vitam, obsequamurque piis Pastori- bus, Heb. 13. vñs. 17. quos & imitemur, Hebr. 13. vñs. 7., ut non tm- cum Paulo confidere de nobis in Domino, quecunq; præcipiunt, facienti- bus 2. Thess. 3. vñs. 4.; sed &, se non invanum cucurrisse, neq; laborasse, in extremo die gloriari possint. Phil. 2. vñs. 16. Caveamus, ne infideles turpitudinibus ac sceleribus offendantur, ab Evangelio deterrean- tur, idque blasphement. Tit. 2. vñs. 6. Parcamus nomini Divino, fecdasque Ecclesiæ Christi inurere maculas horreamus. vid. i. Petr. 2. vñs. 13. Quin potius omnes actiones nostras ad DEI gloriam, & Ecclesiæ ædificationem referamus, cum Ministris i. Tim. 3. vñs. 7. c. 4. vñs. 12. i. Petr. 5. vñs. 4. & Magistratibus. i. Reg. 10. vñs. 6. Ps. 101. per tot; bonæ apud exteris famæ studeamus. Phil. 4. vñs. 8. 9. Evangelioque Christi dignè conversemur. Phil. 1. vñs. 27. Unus- quisque seipsum formam det ad imitandum se 2. Thess. 3. vñs. 9. Una Ecclesia in vera pietate imitetur alteram, sicut fecere Thessa- lonicenses. i. Thess. 2. vñs. 14. utque eam vicissim aliæ Ecclesiæ i- mitentur, studeat, prout modò laudati Thessalonicenses forma faci- sunt*

*sunt omnibus credentibus in Macedonia & Achaja, & in omni loco. I. Thess. 1. vs. 6. seqq. Ita fiet, ut homines bonam nostram cernen-tes conversationem, exemplū Pauli, Eph. 1. vs. 15. glorifcent Deum, Matth. 5. vs. 16. I. Petr. 2. vs. 12: ita fiet, ut pia vita & Christianæ virtutes religioni nostræ gratiam & benevolentiam apud alios concilient: ita denique fiet, ut multi ad amplectendam sanam doctrinam, & piam vitam agendam invitentur, permoveantur, ac sine verbo Christo lucrifiant. I. Petr. 1. vs. 2.*

§. 6. Hactenus de priori classe; sequitur posterior Realis, qui sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, I. Petr. 2. vs. 9. & quinta, ut ita loquar, essentia Christiana. Quorum jam in antec. ex parte, dum Nominales subinde ad emulationem illorum commoniti sunt, delectus est habitus: nunc tantò brevior eorundem erit lastratio, quantò arctior in hoc mundo numerus. Sunt autem illi (et) Conciti seu properi, qui scientes, se per peccata esse à Deo avulsos, Esa. 59. vs. 2. Eph. 2. vs. 12. c. 4. vs. 17; verbum autem tradere rationem reduniendi Deo; igitur hodiè, h. e. primò quoque momentò, auditā Dei vo-ce, non obturant corda sua. Ps. 95. vs. 8. nec fiunt, sicut equus & mulius &c. Ps. 32. vs. 9. committendo, ut magnis demum tribulatiōnibus, tq. durò & fortī frenò, recti & coacti ad officium faciendum adducantur; sed mox verbō se doceri, excitari, Spirituque Dei gubernari sinunt: *Præpositis suis*, quorum conciones apud ipsos pondus habent, promptè obediunt Hebr. 13. vs. 17. peccataque, è verbo Dei ostensa, abjurando, festinant, & non trahunt moram, ad observanda mandata Dei, Ps. 119. vs. 60. Conf. Esa. 55. vs. 6. 7. adeò, ut ministrorum quoque suorum superent exspectationem, quale quid Paulus de Macedonibus depraedicat 2. Cor. 8. vs. 5. Et Josias, populusque Judaicus, auditō librō legis, statim *pactum cum Deo percusserunt*, testantes, se deinceps mandata Dei observatores: Et dehinc cœperunt reformare corruptum Ecclesiæ statum. 2. Reg. 23. vs. 1. usque ad 26. His non remissiores fuerunt Ninivitæ, qui itidem ad factam à Jonā prædicationem illicò resipuerunt. Jon. 3. vs. 4. seqq. Publicani quoque & milites, post auditam Johannis Bapt. concessionem, pœnitentiam agere, baptizarique cūpientes, *quid ipsi efficiendum? quæsiverunt*, quod fructus pœnitentiæ dignos ferrent, vitamque antea factam emendarent. Luc. 3. vs. 12.

vs. 12. seqq. Memorabile pariter est exemplum Auditorum Petri  
 Act. 2. vs. 37. qui, auditâ ejus concione, mox compuncti corde, de-  
 que novitate vitæ solliciti, interrogabant: *Quid faciemus, Viri fra-  
 tres?* quibus deinde Petrus respondit. Nec non Evangelium su-  
 am exseruisse efficaciam, quam primum Colossenses illud audive-  
 runt & crediderunt, Col. 1. vs. 6. Paulus afferit; sicut & Ephesii,  
 teste Lucâ. Actor. 19. vs. 19. Idque facere pios verbi auditores  
 absque omni dilatione jubet conversionis futuræ ob terminum vi-  
 tæ ignoratum incertitudo. *Quanquam n. mors & vita videantur  
 distantissima; nihil tn. alteri vicinus, quam mors vita: semper hæc præ-  
 terabitur, semper illa instat.* Nescimus, quandiu vivimus, quia omnis  
 caro, ut fœnum, & omnis gloria hominis, tq. flos fœni 1. Petr. 1. vs. 24.  
*Vita hæc dum crescit, simul decrescit; dum augetur, simul minuitur;* Gerh. Med.  
 quicquid ei accedit, simul decedit: *vita hujus principium statim mortis.*<sup>38.</sup>  
*est exordium.* Et proinde manè, ultimum fore hunc vitæ diem; vespe-  
 ri, ultimam hanc fore in terris nostris, cogitandum, piè monet idem  
 Autor, Med. 43. adde Sir. 18. vs. 26. Felix ergò, cuius auribus as-  
 siduè feralis intonat buccina: *Moriendum fore hoc momentum.* Re-  
 bus sic stantibus, cur nostram differamus pœnitentiam? cur in crasti-  
 num eam resitiamus? nec dies crastinus, nec vera pœnitentia in nostra-  
 rum virium sunt potentia. Non tam certus dies crastinus, quam certus  
 est impœnitentibus interitus. Promisit D'E u's pœnitenti veniam, sed Gerh. Med. 3.  
 diem non promisit crastinum. Ob mortis itaque semper impenden-  
 tis certitudinem conversio & bona operatio non protelanda in in-  
 certum diem crastinum: nihil n. magis adversum pietati, quam dila-  
 tio; multò minus differenda est in senectutem, que juventi intertas;  
 impœnitenti autem certus paratus est interitus: sed ipsa florida D'E o  
 offerenda juventus. Nulla n. etas servitio D'E i magis apta est, quam  
 viribus corporis & animi vigens juventa. Tenerimus juventutis flosculus  
 virtutum coronis adaptari, & in odorem fragrantia D'E o offerri debet.  
 Adolescentibus ergò piè & sanctè vivendum: multum n. prodest, cap. 2 Exerc.  
 à teneris imbuī & obfirmari animum verâ pietate, ne juvenilibus penult.  
 ad scelerâ abrupti cupiditatibus, in sera, si fortè eam attigerint,  
 ætate vulnus demum conscientiæ sentiant. Honesta debent esse  
 gaudia & vita pia juventutis; non verò occupandum inhone-  
 stis amoribus, & aliis vanitatis ac petulantiae exercitiis, ne ob ea  
 condemnetur. Eccl. 9: vs. 9. 10. Cùm n. adolescentibus & juve-  
 nibus

Gerh. Mod.

28.

nibus satanas ob vehementiores ejus ætatis affectus & ardores maximè insidietur, decet eos maximè vigilantes esse, & pravis fortiter resistere cupiditatibus; ut illud 1. Joh. 2. vñl. 13. elogium: *victis malignum, ipsis tribui possit.* Posse autem in juventute petulanter vivere, & cum ad ætatem virilem ac officium quis pervernerit, tūm demùm incipere piam vitam, non est ista sapientia defensum descendens, sed terrena, animalis, Diabolica. Jac. 3. vñl. 15. Unde: *maledictus*, inquit Aug. qui florem juventutis Diabolo; *feces v. senectutis D E o consecrat.* Adeoque non accedendum juvenibus, inquietibus: *fruamur juvenilibus nostris annis in deliciis, dum corpora nostra vigent, & voluptatum sunt capacia: ac studiosè caveamus, ne tempus juventutis nostre nobis absq. corporis & animi delectatione elabatur.* vid. Sap. 2. vñl. 6. 7. *Adolescens imbutus juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22. vñl. 6. Multum itaque interest, quō odore testa recens imbuatur. Ab infantia semper timendus D E u s, uti fecit Abdias 1. Reg. 18. vñl. 12. & Tobias. Tob. 2. vñl. 13. Ab ineunte ætate pietas colenda jugiter, non differenda, vel in senectutem, vel in mortem; nam tunc pœnitens, non tu deseris peccatum, sed peccatum te deserit. Conf. Eccl. 12. vñl. 1. Et vix invenies quemquam veram egisse pœnitentiam in morte, nisi unicum latronem in cruce. Antequam itaque moriaris, moriantur in te vitia; capesse concessum tibi ad pœnitentiam tempus; semperque in Christiana paratus pietate inveniaris, quia ignoras planè, quā horā D E u s veniens te hinc avocaverit. Quando peccari potest per ætatem, tunc abstinentia ab iis: non n. multum laudis habet, qui propterea peccare desinit, quia peccare amplius non potest; nam talis sclera omittit, non amore D E I, sed defectu facultatis; interim voluntas malè agendi, quæ pro facto habetur, non deest. *Hæc v. vera & laude digna pietatis probatio est, si cui occasio & facultas peccandi multiplex adest; eam nihilominus fibi licentiam non sumit, sed à peccatis abstinet, D E u s timet, né ve eum sciens & volens offendat, cavet.* Melius profectò est præcavendo peccatum, illæsam conservare conscientiam, quām committendo sanctatam sanare; id n. ægrè fit: & turpius ejicitur, quām non admittitur hostes. *Hoc qui faciunt, perinde agunt, atq. illi, qui hostem in arcem intromittunt, & tunc demum eum profligare volunt; quod admodum difficulter fit, & raro obtinetur.* Itaq. quanto citius prava desideria

deria opprimuntur, tantò feliciùs vincantur. Vigilandum proinde præcipue circa initium tentationis, quia tunc facilis hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur, sed extra limen statim, ut pulsaverit, illi obviatur. Unde quidam dixit: Principiis obsta, sero medicina patratur. Et qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad maiores. Nam primò occurrit menti simplex cogitatio; deinde fortis imaginatio, postea delectatio & motus parvus & assensio: sic paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio. Et quantò diutiùs ad resistendum quis torpuerit, tantò in se quotidiè debilior fit, & hostis contra eum potentior. Kempis, lib. i. cap. 13. de imit. Chr. Conf. Jacob. i. vñl. 14. 15. Adde, quod senectus in se quoque molestus & inepta sit ad aliquid bene expediendum; siquidem in ea lauguent omnes hominis vires, & paulatim deficiunt. Ps. 71. vñl. 9. In senectute repuerascimus & onera vocationis non ita commodè sustinere possumus; imò interdum etiam in delirium incidimus. E contrà qui piam vixit juventutem, vegetorem transfigit senectutem. vide de Mose. Deut. 34. vñl. 7. & Caleb. Jos. 14. vñl. 10. 11. Quare non procrastinanda conversio ad D eum, nec differenda de die in diem, nec ex fiducia magna D ei misericordia peccata cumulanda. vid. Sir. 5. vñl. 5. seqq. Ut n. nemo sana mentis propterea sciens & volens venenum haurit, quod fibi remedium sit monstratum: ita nemo sciens & volens D eum peccatis offendat propterea, quod verè pénitentibus venia sit parata. Conf. omnino Sir. 18. vñl. 20. 21. 22. Quin potius auditâ hodiè concione pedeuticâ & epanorthoticâ, mox, mox fœdus cum D eo ineundū, vitaque haec tenus pessimè acta reformanda, & divino conformanda verbo ita, ut emendatio palam videatur. Minimè autem, ut potissimum sit, promittenda saltem verbis, sed & præstanta factis; minimè promittenda saltem ex nuda consuetudine, sed & præstanta ex serio corde: alioqui non dum rectè auditur, neque creditur Evangelium, ubi in verbis, operibus & vita nihil Evangelio Christi dignum deprehenditur; potius ira D ei thesaurizatur. Rom. 2. vñl. 5.

§. 7. Reales Christiani sunt ( $\beta$ ) Practici, qui nq. ingrediuntur templum, ut saltem audire verbum D ei videantur, vel audientes illud, saltem sciant; nam speculativa sine praxi theologia nihil utilitatis habet. 1. Cor. 13. vñl. 2: sed, uti Siracides c. 51. vñl. 24. seq. totus in id intentus fuit, ut secundum sapientiam, quam que-

siverat & invenerat, viveret; ita hi cœlestem doctrinam diligenter  
 audiunt, auditam fideliter percipiunt, perceptam ad praxim refe-  
 runt, in usum convertunt, vitaque exprimunt adeò, ut quibuslibet  
 momentis non modò doctiores, sed & sanctiores evadant 1. Tim.  
 4. vs. 7; ex una virtute in aliam pergent 2. Petr. 1. vs. 5; sicque do-  
 ctrinam Salvatoris in omnibus ornent. Tit. 2. vs. 10. Et meritò:  
 nam vera Theologia, cùm *specialis* illa Theologorum strictè sic  
 dictorum, Doctorum np. vel Ministrorum Ecclesiæ propria, quæ  
 dicit habitum explicandi, confirmandi defendendique articulos fi-  
 dei, & perducendi hominem ad salutem; tūm *communis* quorum-  
 vis fidelium, quæ dicit habitum cognoscendi, piè credendi res sa-  
 cras, ac perveniendi ad salutem, non in cognitione mera, sed in  
 praxi consistit. *Quamvis n. non agenda solum, sed etiam credenda ac*  
*ſperanda in hac cœlesti philosphia proponantur; id tn. non impedit, quod*  
*minus practica adhuc dicatur: nam & medicina (cui reſtè assimilatur*  
*Theologia) in quorundam theoria occupata est; nec tn. propterea theo-*  
*retica est disciplina, quia hanc ipsam theoriam propter praxim sectatur:*  
*perindè se res habet in Theologia. Vid. Gerh. Dedicat. Medit. Sacr.*  
 plura cum fructu. Hinc, ut Demosthenes olim ter interrogatus:  
*quid in oratione esset primum? semper respondit: actio. Similiter*  
 quærenti: *quid in vero Christianismo sit primum? Rx. actio; tūm, quia*  
 Deus mandat, verbum suum discere & opere complere. Deut.  
 5. vs. 1. c. 12. vs. 1; tūm, quia Christus pronunciat Joh. 13. vs. 17.  
*Hac si scitis, beati eritis, si feceritis; tūm, quia Jacobus jubet c. 1.*  
 vs. 22. seq. ut simus factores verbi, & non auditores tm. &c; tūm de-  
 niique, quia veteres dixerunt, optimum verbi divini auditorem, bea-  
 tumq[ue] esse, qui scripturas convertat in opera, h. e. facienda faciat, &  
 fugienda fugiat. Sanè divini prædicatio verbi pro scopo habet,  
 non ut auditores solum ad pernoscenda doctrinæ sanctæ mysteria  
 introducantur; sed ut ad eorum, quæ audiunt, observationem &  
 exsecutionem permoveantur. Ac qui ita tractant verbum Dei,  
 ut ductum ejus sequantur, non est dubium, quin quam proximè ad  
 perfectionem & innocentiam vitæ, quanta quidem in hominem,  
 adhuc in hoc seculo viventem, cadere potest, accedant. Nam fides,  
 ex divini semine verbi nata, non est *nuda notitia, opinio & professio,*  
*sed viva & efficax Christi, in Evangelio propositi, apprehensio, adeòq; &*  
*mater omnium virtutum Christianarum ita, ut ubi fides, ibi fit Chri-*  
*stus;*

stus; ubi Christus, ibi Spiritus S.; ubi Spiritus S. ibi sancta vite operatio.  
 Ut n. Christus in scriptura proponitur, non modò Evangelicè, ut  
 donum, cui fides; sed etiam legaliter, ut exemplum, cui charitas in-  
 nititur: ita dupli, eoque indivisiè necessariò eum modò induimus;  
 unò, cùm baptizati in eum credimus, ejusque meritum nobis im-  
 putatur, ut Gal. 3. v. 27; alterò, cùm in totà conversatione nostra  
 ipsius innocentiam & puritatem vitæ ex animo imitari studeamus,  
 ut Rom. 13. v. 13. 14. Priorem D E u s, posteriorem proximus  
 in nobis videre tebet. Undè, qui verâ præditus justificatusque  
 est fide coram D E o, is quâ & quamdiu talis, sanctis piæ & irrepre-  
 hensibilis vitæ studiis, dictis & factis, ceu testatissimis solidæ pie-  
 tatis indiciis, etiam coram hominibus justus declaratur; quod do-  
 cet exemplum illorum, qui in sacris justificante imbuti fuisse fide di-  
 cuntur, e. gr. Noach, Zacharias, Elizabeth, Simeon, Anna &c.  
 qui licet in corruptissimo populi Judaici statu vixerint; veræ tn.  
 pietatis fuerunt studiosissimi. Nec aliter res veri Christiani salva  
 esse potest: nam quemadmodum ubi lux, ibi radius; ubi radius, ibi  
 ejus vis, operatio & lucida gratia: ita ubi justificatio coram D E o, ibi  
 fides in corde; ubi fides in corde, ibi renovatio cordis per Spiritum san-  
 ctum, renovationisq; in hominis Christiani verbis & operibus manifesta-  
 tio. Act. 16. v. 15. 33. Gal. 5. v. 6. Quemadmodum nec sine sole  
 suo lux, nec sine luce sua sol; ita nec fides, phosphorus ille spiritualis cor-  
 da illuminans, sine bonorum luce operum, nec hæc sine illa existit: Re-  
 move lucem à sole, & separare poteris charitatem à vera fide. Et quem-  
 admodum solis lux undiquaque spargit radiorum splendorem; ita fidei  
 lux undiquaque diffundit charitatis fervorem. Vide notas aliquas  
 veri Christiani Psalm. 15, & imaginem veræ charitatis à Pau-  
 lo depictam. 1. Corinth. 13. Quare errant periculosissimè, qui ta-  
 lem imaginantur fidem justificantem, quæ bonos non ferat fructus.  
 Hinc voces ipsorum: *Fac, quicquid lubet, modò credas, nihil tibi no-  
 cecet, fides omnia peccata delet &c.* Artic. Smalc. part. 3. p. 328. At v.  
 nondum sunt per fidem Christo conjuncti, qui vitam & succun-  
 ex ipso non trahunt: *Ubi non est vita sancta, ibi non est Christus, nec  
 vera fides:* fides non est vera justitiae & salutis causa, nisi quæ per  
 charitatem se exserit. Gal. 5. v. 6. *Ubi non se exserit charitas (com-  
 plexus omnium pietatis actuum) exterius; nemo credit ibi adesse  
 fidem interius: inutiliter creditur, ubi non bene vivitur.* *Ubi non se-  
 quuntur*

quuntur bona opera; ibi fides est falsa, & non vera. Artic. Smalc. c. part. 3. art. 13. adde Eph. 3. vſ. 6. Christiani non sunt, qui non vitam Christianam dignam agunt: non judicatur homo vivus, si non opera vita manifestet exterius; ita nullus est Christianus, nisi cuius fides per pia sese exserit opera. Jacob. 2. vſ. 26. Desinant ergo Pseudo-Christianiani sibiipsis placere, qui fidem jactant; interim sceleratè ac injustè vivunt. *Fides sine operibus seu dilectione est fides Daemonum, non Christianorum.* Non possunt simul stare in uno homine fides in Christum salutaris & flagitosi mores. *Fides est lux; opera mala sunt opera tenebrarum: quæ v. societas luci cum tenebris?* 2. Cor. 6. vſ. 14. *Fide purificantur corda* Act. 15. vſ. 9. *quomodo v. potest esse interna puritas, ubi impura verba, & impura opera exterius apparent?* *Fides est vittoria nostra* 1. Joh. 5. vſ. 4; *quomodo v. ibi potest esse vera fides, ubi caro vincit spiritum, & captivum quasi dicit?* Peccata sunt opera mortua; si in mortuis ambulas operibus, *quomodo tu in Christo, Christus in te vivit?* Peccata pertinent ad veterem Adamum; si abhuc in te regnat vetus Adam, *quomodo cum Christo spiritualiter resurrexisti?* Peccata pertinent ad vetustatem carnis; si in vetustate carnis ambulas, *quomodo novus homo vivet?* Gerh. Med. 51. Tales proinde sciant, se non habere veram fidem, sed falsam persuasionem, aliàs benè operarentur. *Curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.* Tit. 3. vſ. 8. adde vſ. 14. *Videant, ut quod ore cantant, corde credant; & quod corde credunt, operibus comprobent,* monente Concil. IV. Cartago Capitulo X.

§. 8. Reales Christiani sunt (*y*) Nazaraei, Deo unicè dicati ab omnię immundicie mundanâ alieni, qui memores solennis separationis & desponsationis suę in baptismo factæ, quā se Deo tunc mox totos devoverunt, Diaboloque, mundo & vetustati carnis renunciärunt, *ambulant in nomine Domini Dei sui in eternum & semper.* Mich. 4. vſ. 5. Sunt n. electi de mundo Joh. 15. vſ. 19. & facti sponsa Christi. Oſe. 2. vſ. 19. Ut autem in V. T. sacerdotes debebant ducere Virgines. Lev. 21. vſ. 7. 13: ita cœlestis ille Sacerdos talem ſibi virginem spiritualiter copulat, que à Diaboli, mundi & propriæ carnis complexibus ſeſe integrum ac immaculatam ſervat; adeoque est virgo non tm. quia per & propter Christum pura & sancta coram Deo reputatur; ſed quia etiam inculpatè vivere debet. 2. Cor. 11. vſ. 2. *Nam honestus maritus in matrimonio non*

f. 57. 1st



poteſt ferre, ut uxor ſua cum alio viro conſuetudinem habeat: ita Deus rivalement ferre nequit; ſed ipſi ſoli adberere, aut omnino miſſum facere oportet. Conf. Matth. 12. vſ. 33. Dagon juxta Arcam DEI ſubfiftere non potuit, ſed debuit corruere. 1. Sam. 5. vſ. 2. ſeq. ita in cuius pectore, ceu templo, habitat Spiritus S., ibi non habet locum Diabolus: quid n. commune Chriſto cum Belial? 2. Cor. 6. vſ. 15. Olim agno paſchali veſcentibus non licuit una edere fermentatos panes, ſed azymos: ita piis, paſcha ſuum, pro ipeſis immolatum, Chriſtum, manducantibus, removen- dūs eſt vetus Adam, ne dominetur inter eos, habendus q̄ animus pura & incontaminata vita verè ſerioꝝ, ſtudioſus. Huc refer 1. Cor. 10. vſ.  
 21. In templo Hieroſolymitano nihil erat, quod non aurō rutilaret. 1. Reg. 6. vſ. 22. ita omnia in piis pietate & virtutibus radiare neceſſe eſt. Tota cum omnibus ſuis partibus ovis eſt utilis: ita fideles, oves Chriſti. Joh. 10. vſ. 11. ſeqq. ſe totos cum omnibus actionibus, gratitu- dinis ergo ad DEI gloriā & proximi commodū referre debent. Ete- nim DEUS non amat illos, qui verbo ejusq; Ministris in quibusdam obſe- quuntur, in reliquis v., licet ſepiuſ admoniti, obedire nolunt; adeoꝝ, alia quidem ſervanda fuſcipiunt, alia contemnunt ita, ut in iis aliquæ virtutes conſpiciantur, cum quibus tm. magna vitia ita certent, ut diſſicile fit diju- dicatu, vitianē, an virtutes in talibus præponderent: quales ſunt, qui ava- ritiam quidem fugiunt; libidinibus autem indulgent, & ſic porrō. Sed vult DEUS, ut in omnibus præceptis ei pareant: Quō quadrat illud Jac. 2. vſ. 10: qui totam ſervaverit legem, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Quō non docetur, quaſi quis quam legi DEI in hac vita perfecte ſatis- facere poſſit; ſed eos coram DEO non eſſe excusatos, qui ab aliquibus fibi delictis temperant, alia vero committunt, quaſe DEUſ liberum reliquifet eligere in ipeſius mandatis, qua obſervare placeat, ceteris negleciſ. Luc. Oſiandriſ. h. l. Ea proinde vera demum eſt fides, ubi non ex di- midia tm. parte amplectuntur homines DEI verbum; ſed in ſoli- dum illi ſe addicunt, ut adeo Miniftri cognofcant experimentum eorum, an in omnibus ſint obedientes. 2. Cor. 2. vſ. 9. Quare Eleſti ad normam doctriñæ Chriſti professionem fidei ſuæ, & ad normam vitæ Chriſti dictum vitæ ſuæ instituunt, formant, atq; dirigunt. Ab omni via mala prohibent pedes ſuos, ut cuſtodi- ant verbum DEI Ps. 119. vſ. 101. & quō attentiūs audiunt illud ac ſervant, tanto minuſ peccant. Ita vitam ſuam conformant verbo DEI, ut impiorum conuerſationem fugiant Ps. 26. vſ. 45.

2. Cor. 6. v. 14. seqq. *S*videntes, *aliros prævaricantes*, *tabescant, quod non custodian verbum D E I.* Ps. 119. v. 158. (Cui n. non dolet alienus verbi D E I contemptus, in eo non multum pietatis supereft; vel qui & ipse protervè vivit, & cùm alios peccare videt, non zelat, ille sciat, se non esse verum Christianum.) Porrò confirmant se verbō D E I, ne mundus, sive minis & injuriis, sive blanditiis & voluptatibus pravisque exemplis ad similem impietatem à vera eos pietate abducant: adeoque adversis, quæ manent pios, avocari se ab officio non patiuntur; nec insultantes impiorum criminaciones (quod sc. à sceleribus ipsorum totò peccore abhorreant, eosq; aversentur) curant, exemplo Jobi & Tobiae. Job. 4. v. 6. Tob. 2. v. 15: nam ut ipsi injustè talia ab iis sustinent; ita illi non impunè ferent. Nec morantur stolida ac cœca illorum judicia, qui eos pro fatuis habent propterea, quod Evangelium Christi sincerè profiteantur, ejusque causā odia mundi contemnant: *mundus n. odit eos, qui pœnitentiam agentes ad meliorem frugem perveniunt.* Satius judicant habere impium mundum inimicum, quam D E U M Optimum Max; satius amittere hominum favorem, quam D E I gratiam. Eligunt potius ignominiam Christi, quam thesauros hujus seculi. Parent verbo D E I, etiamsi cum jaætura facultatum & periculō quodam videatur conjunctum. Multò minus, temporariā impiorum felicitate visâ, cogitant facere ea, quæ illi faciunt, ut & ipsi post-hac sint feliores. Prov. 3. v. 31. conf. c. 23. v. 18: impii enim tandem turpiter pereunt; pii verò æterna suæ probitatis præmia recipient. Piè itaque & honestè, tanquam in die ambulant: opera v. tenebrarum iis relinquunt, qui in densissimis adhuc tenebris versantur. Sic vivunt, ut non ipsi malos imitentur, sed ut mali bonō ipsorum exemplo meliores reddi queant. Et cùm Civitas ipsorum sit in cœlis Phil. 3. v. 20. sic utuntur mundo, ut eō non abutantur, memores, se non ad mundana desideria implenda & voluptates, sed ad cœlestem hæreditatem esse vocatos. Hinc ad cœlestia magis, quam terrena adspirant, non ignari, curâ terrenâ cœlestem auferri, divitarumque solicitudine spiritualem verbi fructum impediri. Ex desiderio Christi seipso abnegant, quæ abnegatio in quo consistat, explicat Gerh. Med. 31. Veterem Adamum in omnibus per virtutem Spiritus S. compescunt, in rebus adversis pariter ac prosperis, quoad D E U M, proximum, & semet-

semetipos. Carnem suam crucifigunt cum affectibus & concupiscentiis Gal. 5. vs. 24. Mundus ipsis est crucifixus & ipsi mundo. Gal. 6. vs. 14. Verbo: Tanta in ipsis est vanitatum mundi despicientia, ut praeter divina, fluxa omnia, velut ad se nihil pertinentia, negligant: econtra quantum in depravata hac carnis imbecillitate fieri potest, spiritu incedunt, scientes, corpora sua esse templum Spiritus S. seque non suos, sed Dei esse; igitur glorificant Deum in corpore suo. 1. Cor. 6. vs. ult. Usque quo ergo claudicatis in duas partes, *Hermapbrodi Christiani*, qui Christianismum simulatis, & Epicureisnum vivitis: qui Deo fœderali & sponso vestro fidem frangentes, cum Diabolo, mundo & carne fornicamini. O vos fœdisfragos fœderatos! o sponsam adulteram! o hircinas oves! mundo sapientes, Deo stulti; amici mundi, inimici Dei facti estis. Jac. 4. vs. 4. Alii honestam coram mundo eiique placentemque ducitis vitam, ac per hoc regnum Dei in Evangelio oblatum, negligitis; nam sub honestate latet ambitio: alii volentes lubentesque, abjecto timore Domini, manifestæ litatis impietati. Frustra, frustra mentimini, vos amare Christum, qui vitia, & conseq. Diabolum, amatis. Amator Diaboli non potest esse amator Christi: Verus enim Christi amator, est etiam Christi imitator. Non poterit esse amator Dei, qui non est amator sanctæ vitæ. Qui vult. Deo esse proximus ac familiaris amicus, inque oculis ejus preciosus ac dilectus; is mundo alienus & despectus, sibiipsi nihil sit. Oportet stultum fieri propter Christum, qui vult religiosam ducere vitam. Homini devotè compuncto amarus est totus mundus. Quare estote memoris, undè excideritis, & agite pœnitentiam, ac prima facite opera. Apocal. 2. vs. 5. Ac cum veri amoris proprium sit, amato obsequi, idem cum eo velle & sentire; igitur, si Christum amatis, mandatis ejus obsequimini, sanctamq; cum ipso vitam diligite, nec non spiritu mentis vestrae renovati cœlestia cogitate. Moriatur in vobis amor vestri, mundi & creaturarum, ut vivat amor Dei, qui incipiat in hoc seculo, ut perficiatur in futuro. Exsequimini præceptum Pauli. Rom. 12. vs. 1. seqq. Vivite in hoc mundo ita, ne occasionibus peccandi, & iis, quæ vos ad impietatem secum abstrahere conantur, ut est mundus, Diabolus & caro corrupta, à verbo Dei abduci vos patiamini: non enim genuini; sed superficiales tantum verbi Dei auditores sunt, qui malo malorum exemplo & factis corrumpi finunt.

finunt. *Ah in perveritate hujus mundi non est cum vulpeculis vulpeculandum!* Back. in Psalm. 55. Implorate opem divinam, ut ea, quæ ex verbo D E I dicuntur, præstare, adeoque vitam filiis lucis convenientem ducere valeatis; ut ita meritò dici possit; *Omnis multitudo sancta est, & in ipsis est Dominus.* Num. 16. v. 3.

§. 9. Reales Christiani sunt (δ) continui & perseverantes, qui postquam semel Christo nomen dederunt, filiique D E I ex filiis iræ facti sunt, non jam desideriis corruptæ humanæ naturæ, sed voluntati D E I, id, quod reliquum est temporis in mundo, vivunt; cogitantes, satis esse, quod præteritum vitæ tempus peccando consumserint 1. Petr. 4. v. 2. 3. ideoque cessant, ceu renati, quos nova decet vita, *consistens in detestatione operum carnalium Gal. 5. v. 19. 20. 21. & seztatione virtutum Christianarum v. 22. 23.* Nec doctrinâ de libertate Christianâ ad licentiam carnis abutuntur, juxta doctrinam Pauli Rom. 6. & 7. capp. quippe liberati à Diabolo & peccato, *servi autem facti justitiae:* & proinde non quidvis pro libidine faciendum, sed *cum timore & tremore salutem suam operandam esse ex Philipp. 2. v. 12.* ducunt. Ac cùm perpetua sit lucta carnis & spiritus Gal. 5. v. 17. operam dant, ut spiritus vincat, caro succumbat: quod fit, dum se violenter subtrahunt, ad quod natura vitiosè inclinatur, & ferventer instant pro bono, quod amplius indigent. Aut si quando per imprudenteriam & fragilitatem humanam, vel in doctrina, vel in moribus aberrant, mox pœnitentiâ ducti, ad viam salutis verbō D E I se revocant, & imposterum id vitium corrigere student, totos se amori salvifici verbi D E I addicendo, inque obsequium mandatorum Divinorum tradendo ita, ut à verbo D E I discedere vel latum unguem non sit animus; quin potius in tanto proposito & incepto per D E I gratiam ad finem usque perseverandi adsit constantia. Unde Salvator assimilat eos *Viro edificanti domum super petram Luc. 6. v. 46.* Ex quo tamen nequaquam concludi potest *Calviniana gratia divina, fidei, inamissibilitas.* Nam (1.) non seq: fideles nimbis, fluminibus ac ventis temptationum non succumbunt, fundati super petram. Ergò spiritum gratiæ penitus excutere non possunt: possunt enim propriâ voluntate. (2.) Verba Christi reduplicativè sunt intell. sc. quæ & quamdiu verbum D E I audiunt & faciunt. Mutata autem subjecti conditione, prædicatum etiam

etiam non amplius quadrat. (3.) Utinam non larga eorum esset  
seges, qui post impetratam peccat. remissionem ad pristinum vivendi  
morem denuò redeunt, & delictis suis pessimè iteratis gravius D E U M  
offendunt! Heu, quot videmus à peccati jugo liberatos ad pristinam ca-  
ptivitatem redire, & ex spirituali ægypto eductos ad ejusdem ollas re-  
spicere! Refugerunt mundi inquinamenta per Christi agnitionem; sed  
iisdem rursus involvuntur per pristinam vita pessimæ conversationem.  
Liberati erant ex vinculis Satanae per conversionem; sed eisdem iterum  
irretiti harent per spirituum nequiorum deceptionem. Posteriora il-  
lorum certè pejora sunt prioribus: ac satiùs illis fuisset non cognovisse  
viam justitiae, quam eadem cognitâ, à sancti illius, quod ipsis traditum  
fuerat, præcepti converti tramite. Hi sunt canes ad vomitum suum  
reversi, & sues post lotionem immersæ volutabro cœni. Gerh. Exerc.  
piet. par. 2. cap. 10. Idque citius, quam nix Libani deserit petras  
in agro, aut aquæ frigidæ defluentes evanescunt, Jerem. 18. vñ.  
14. Hodiè enim confitentur peccata sua, & cras iterum perpetrant,  
quæ confessi sunt. Nunc proponunt cavere, & post horam a-  
gunt, quasi nihil proposuissent. Promittunt novitatem vitæ &  
obedientiam D E O, Exod. 19. vñ. 8. cap. 24. vñ. 4. 7; sed quo-  
tusquisque stat promissis? Quotidiè conversantes in cœtu sancto  
deberent mutari in virum alium notabiliter, uti Saul, 1. Sam. 10.  
vñ. 6, ut de unoquoque dici posset in proverbio: *Num & Saul in-  
ter prophetas?* vñ. 12; sed plerumque verius est: *cessavit autem pro-  
phetare.* vñ. 13. Si omni anno unum vitium extirparent, citò vi-  
ri perfecti efficerentur: sed contrarium fit; nam meliores & pu-  
riores in initio conversionis fuisse inveniuntur, quam post multos  
annos professionis. Unde & vulgo dicitur: *Angelicus juvenis se-  
ris satanizat in annis.* Verum stulti sunt, qui spiritu quidem cœperunt,  
*carne autem consummant.* Gal. 3. vñ. 3. Non satis est, benè cœpisse,  
nisi etiam finis principio respondeat. Quare nos semel ad Chri-  
stum conversi, non sumus amplius configurati prioribus ignorantia no-  
stra desideriis 1. Petr. 1. vñ. 14. quid enim prodeffet à morbô liberari,  
si statim sequeretur pejor recidiva? quid prodeffet à peccatis absolvi,  
si non sequeretur piè vivendi ratio? Malum itaque, quod antea  
dileximus, jam odio prosequamur; & bonum, quod antè odio  
habuimus, diligamus & sequamur; ne, si ad id, à quo recessimus,  
redeamus, deterius quid nobis contingat, prout Christus sanatum

K

illum

illum Joh. 5. monuit. Et sic pœnitentiam non tantum verbis profiteamur, sed bonis operibus demonstremus: simulatam enim pœnitentiam Deus odit, quā quis, vel ante sacræ usum cœnæ, vel aliàs pœnitentem ac devotum se exhibet; mox autem ad consuetum ingenium redit, vivitque ut antè, nec ullò reformat modò vitam, vid. Sir. 34. vñl. 21. usque ad fin. Longè aliter iam affectos nos esse oportet, quām antè fuimus; alia (filiorum Dei) vita, alii (sanctorum) mores decēt: redempti enim sumus per Christum, non ut pro nostrō vivamus ingenio, sed ut peccatis valedicentes piam & justam vitam ducamus, Deoque, cujus sumus servi, 1. Petr. 2. vñl. 17. serviamus. Crescendum nobis est in vera Dei cognitione, charitate, totoque adeò Christianismo in dies, ut in fide, vita & conversatione respondeamus Evangelio, cuiusc statūs, & conditionis sumus; ea in omnibus actionibus nostris eligentes, quæ optima, quæque ad Dei gloriam, nostramque & proximi salutem plurimum sunt facientia. Atque ut in hoc constanter permaneamus, verbum, gladium nostrum spiritualem, Eph. 6. ne sinamus per Satanam nobis è manibus excuti. Adhortemur nos invicem per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex nobis fallaciā peccati. Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initium substantie usq; ad finem firmum retineamus. Hebr. 3. vñl. 13. 14. adde 1. Cor. 9. vñl. 25. Apoc. 22. vñl. 11.

§. 10. Constitueram equidem initio, eð prorsus, quð præcedentia, studiõ h̄ic præmium quoque verbi, modis hucusque propositis audit, longè amplissimum, & pœnam neglecti miserabilissimam delineare: Verūm præsens, vix nominandus, labor, spe & opinione prolixius diductus, eam me mutare sententiam jubet. Interim loco illius selectiorum quorundam scripturæ dictorum, in lectione Biblicā notatorum, loca ad signo, quæ, spero, Lector verè Christianus, pro singulari sua erga Deum verbumque ejus pietate, evolvere haut gravabitur. Et quidem I. *quoad præmium temporale ac aeternum*. Psalm. 84. vñl. 5. Psalm. 119. vñl. 1. 2. Proverb. 8. vñl. 34. 35. Matth. 13. vñl. 16. Luc. 11. vñl. 28. Joh. 13. vñl. 17. Jacob. 1. vñl. 25. \* Exod. 23. vñl. 22. Lev. 25. vñl. 18. cap. 26. vñl. 3. usque ad 13. Deuter. 5. vñl. 10. 32. 33. cap. 7. vñl. 12. seqq. cap. 28. vñl. 1. seqq. 2. Paralip. 20. vñl. 20. cap. 26. vñl. 5. Proverb. 2. vñl. 7. seqq. cap. 4. vñl. 10. seq. c. 8. vñl. 19. c. 13. vñl. 13.

Sap.



Sap. 6. vſ. 11. cap. 7. vſ. 28. Eſa. 55. vſ. 11. seqq. Sirach. 24. vſ.  
 27. seqq. cap. 50. vſ. 30. 31. Matth. 6. vſ. ult. Joh. 14. vſ. 23. Rom.  
 8. vſ. 14. Apocal. 3. vſ. 10. 20. \* 1. Samuel. 2. vſ. 30. 2. Paralip.  
 34. vſ. 27. 28. Proverb. 3. vſ. 18. Sap. 15. vſ. 3. Matth. 13. vſ. 30.  
 43. Joh. 8. vſ. 53. II Quoad pœnam temporalem & æternam. Hebr.  
 13. vſ. 17. Levitic. 26. vſ. 14. usque ad 41. Deuter. 28. vſ. 15. seq.  
 1. Samuel. 3. vſ. 1. 11. cap. 12. vſ. 15. cap. 15. vſ. 23. 26. 2. Pa-  
 ralip. 15. vſ. 3. Matth. 10. vſ. 14. cap. 21. vſ. 43. Marc. 6. vſ. 11.  
 Joh. 15. vſ. 22. \* Psalm. 18. vſ. 42. Psalm. 66. vſ. 18. Eſa 1. vſ.  
 15. Jerem. 11. vſ. 11. Ezech. 8. vſ. 18. Proverb. 1. vſ. 28. cap. 21.  
 vſ. 13. cap. 28. vſ. 9. Micha 3. vſ. 4. Zachar. 7. vſ. 13. Joh. 9. vſ.  
 31. 4. Esdr. 1. vſ. 25. seqq. \* Ezech. 14. vſ. 16. seq. Jerem. 7. vſ.  
 16. cap. 11. vſ. 14. cap. 14. vſ. 11. \* 1. Samuel. 28. vſ. 6. 13. Eſa.  
 5. vſ. 5. seqq. Daniel. 8. vſ. 12. 13. Amos. 8. vſ. 11. 12. Zachar.  
 11. vſ. 16. Joh. 12. vſ. 35. 2. Thessal. 2. vſ. 9. seqq. Apocal. 2. vſ.  
 5. 4. Esdr. 1. vſ. 24. cap. 5. vſ. 1. 9. seqq. cap. 14. vſ. 17. \* 2.  
 Reg. 25. vſ. 9. Psalm. 74. tot. Psalm. 78. vſ. 67. Psalm. 80. vſ. 13.  
 14. Proverb. 5. vſ. 12. Eſa. 30. vſ. 13. 14. cap. 42. vſ. 24. c. 65. vſ.  
 12. cap. 66. vſ. 4. Jerem. 5. vſ. 10. cap. 7. vſ. 13. seqq. cap. 29. vſ.  
 19. Matth. 23. vſ. 38. Marc. 13. vſ. 19. 1. Corinth. 10. vſ. 5. seqq.  
 4. Esdr. 10. vſ. 21. 1. Maccab. 3. vſ. 51. \* 1. Reg. 14. tot. 2. Reg.  
 2. vſ. 24. cap. 7. vſ. 2. 19. 20. cap. 17. vſ. 26. cap. 18. vſ. 11. 12. 2.  
 Paralip. 24. vſ. 18. usque ad fin. Proverb. 15. vſ. 10. Eſa. 28. vſ.  
 13. Jerem. 7. vſ. 28. Oſeæ 4. vſ. 3. cap. 9. tot. Matth. 13. vſ. 13.  
 seqq. Luc. 12. vſ. 47. 48. cap. 13. vſ. 3. Aſtor. 3. vſ. 13. Rom. 8.  
 vſ. 13. 1. Corinth. 3. vſ. 17. Hebr. 4. vſ. 2. cap. 12. vſ. 25. 2. Petr.  
 2. vſ. 21. \* Psalm. 119. vſ. 155. Proverb. 8. vſ. 36. Matth. 3. vſ.  
 10. cap. 7. vſ. 19. seqq. cap. 11. vſ. 22. seqq. cap. 12. vſ. 41. seqq.  
 cap. 13. vſ. 30. 49. 50. cap. 23. vſ. 17. seq. Luc. 11. vſ. 31. cap. 13.  
 vſ. 5. 24. Joh. 12. vſ. 48. cap. 15. vſ. 6. Aſtor. 13. vſ. 46. Hebr.  
 3. vſ. ult. 4. Esdr. 1. vſ. 24. usque ad fin. cap. 2. vſ. 9. 10. cap. 9.  
 vſ. 12. Clementissimo Patri, cum Filio & Spiritu Sancto, Triuni  
 DEO, qui serio omnium salutem expedit & exspectat, sit laus  
 & gloria in infinitas seculorum æternitates.

AMEN, AMEN.

T A N T U M!



*Carmen gratulatorium.*

**A**fficiunt alios arcana rete&ta Potentūm:  
 Te Jovæ reficit Mens bona, NOSTER A M O R.  
 Conficiunt alios subtilia dicta Sophorum:  
 Te vivum faciunt Dogmata viva D E I.  
 Commendant alii capienda vel hæcce vel illa:  
 Tu capienda doces enthea Verba piè.  
 Eja! Tuâ Virtute, tuâ Pietateque maëste;  
 Jaspite quæ melior, splendidiusque nitet.  
 Hâc modò perge viâ, modò perge laboribus istis  
 Affiduè fungi: Præmia justa manent.  
 Præmia grata manent, angoribus undique pulsis;  
 Fœnore quæ largò, quem colis, Ipse dabit.  
 Interē votō saltim certare licebit:  
 Sit tibi multa salus! sit tibi multus honor!  
 In Patria si non, premitur quæ mille periclis:  
 Attamen in terra, quò pia Fata trahent.  
 Quò pia Fata trahent, hominum non invida tollent  
 Vota: Sit in votis, quò pia Fata trahent.

Hisce pauculis oculissimo suo Domino Con-  
 terraneo, de modo audiendi Verbum Divinum, non  
 minùs eruditè, quàm piè, & differenti & dispu-  
 tanti, ἐν φενὸς μυχῇ adplaudere voluéra, de-  
 buére

Conterranei Hungari, Serenissimi  
 Principis Würtemb. in Illustri, quod  
 Tubingæ, Stipendio Alumni.

F I N I S.

Ung. VI. 51



3

f

TA → d  
nun 1+27 Schrift verändert

Ratio  
V317



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Fuva!  
NI CHRISTIANISSIMUS.  
ve,  
Theologica,  
, realem, debitumq;  
ATI VER-  
VINI,  
modum delineans.  
medium partem,  
Luce & fide Comite,  
S I D E  
ndō atq; Excellentissimō,  
ENRICO HÆBER.  
Extraord. Eccl. Tubing.  
ente Ducalis Stipendii,  
Promotore colendissimo.  
ses,  
ingarus, SS. Th. Cultor,  
Duc. Würt. Alumnus,  
i Observatorum scrutinio proponit,  
OGORUM NOVA,  
Promotore colendissimo.  
Aprilis,  
t in vita ; qui habet in sermoni-  
bet audiendo , & servat faciendo ;  
ut perseverando : ipse est, qui di-  
Augustin. Tract. 75. in Ioh.  
N G A E,  
EISI, ANNO M DC LXXXII.

29.

24

1. II. 3206

